

Spielmann, Prof.
nunc
Frochaux D^rm
Dv 2256



40-101

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
- Med.-Naturwiss. Abt.
DUSSELDORF

V 5344



RICHARDI MEAD
M O N I T A
E T
P R A E C E P T A
M E D I C A,
P E R M U L T I S
NOTATIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS,
I L L U S T R A T A.
A U C T O R E

CLIFTON WINTRINGHAM,

*M. D. C. M. L. & R. S. Socio, Equite Aurato, & Medico
Regio, olim & valetudinarii provisi in usum Britan-
norum apud exteras gentes bella gerentium
medico & praefecto.*

FAS SIT MIHI VISA REFERRE.

OVID. EPIST.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex OFFICINA HAAKIANA,
CIO CI CCLXXIII. 913

PRAEFATIO.

REM neque inutilem , neque ab officio & vitae Meae instituto alienam , Me facturum existimavi ; si praecipua adversus ple- rosque morbos auxilia , quae aut longa experientia dedici , aut legitima ratiocinatione excogitavi , in publicum ederem . Artis autem praecepta & viam medendi potius , quam morborum definitiones aut descriptiones tradere ; & medicamenta usu comprobata , non conjecturas ingenio fictas , proponere statuo . Et quoniam consilium non est de universa medicina commentarios scribe-re , usitatum in libris Medicorum ordinem non servabo ; horis enim subsecivis ex *Adversariis* Meis ea , quae usui fore opinabar , transcripsi ; in mentem simul , quantum potui , revo-cans quaecunque in singulis morbis profuisse , aut nocuisse memineram . Sic enim orta est me-dicina , subinde aliorum salute , aliorum interitu , perniciosa discernens a salutaribus (a) . Quapropter neque de ipsa scientiae medicae con-stitutione , ut ita dicam , verba facturus sum ; nec quantum illa vel *rationalis* , vel *empirica* sit , disceptaturus . Operae potius pretium erit , quae in utramque partem disputant Medici , qui aut
ar-

(a) *Celsus in Praefat.*

* 2

P R A E F A T I O.

artem rationalem, aut usum tantum sibi vindicant, apud Celsum legere, qui sententiam suam super tota hac re dilucide & sapienter exposuit (*a*). Nullam autem ex his, quae opera saepe tumultuaria feci, gloriolam aucupor. Animadvertisit enim jam olim medicinae pater Hippocrates, *majorem conquestiōnēm, quam honorem, sortitam esse artem nostram* (*b*). Ita nimur fert hominum natura, in aliorum reprehensionibus nimia plerumque & prodiga, in laudationibus vero parca & avara. At haec forsitan de medicina querela levis videatur; gravior autem illa, quam alibi affert; *Videre Medicum terribilia, contrectare acerba, & ex alienis calamitatibus proprias sibi capere molestias.* Quid autem humanius, vel homine etiam Christiano dignius, proferri potest; quam aliorum malis commoveri, perinde ac si sua essent (*c*).

POSTULABAT quidem instituti hujus ratio, ut aliorum Medicorum errores interdum monstrarem; id autem ea semper aequitate feci, qua ipse Meos emendari velim. Conjecturis saepe ars nostra nititur; neque id sperandum, ut perpetuo quis collinet. Quocirca nec Me puduit, quae quandoque ipse live ignorantia, five

(*a*) In Praefat.

(*b*) "Ἐγωγει μόνον πλειστα μεμψιμοίν ἡ τιμὴ κεκληρωθεῖσαι τὴν τέχνην. In Epist. ad Democritum.

(*c*) Ο μὲν γὰρ ἀπρός ὄρδιν τὰ δικὰ, Σιγάνῳ το ἀηδίᾳ, οὐ εἰς ἀλλοτρίους ξύμφορούσι ιδίας καρπάται λόπας. Lib. De flatibus.

P R A E F A T I O.

five negligentia, perperam fecerim , monere & agnoscere. *Convenit enim, ut ait Celsus, simplex veri erroris confessio, praecipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur* (a). Illud autem facile percipiet lector , Me non sensu tantum , sed & ipsissima verba Celsi , ut res tulit , imitando exprimere voluisse ; quod utinam sane facere Mihi saepius licuisset. Quo enim auctore potius uterer , quam eo , qui ex Graecis tam Medicis quam Chirurgis praecipua, quae ad artem nostram pertinent , in linguam Latinam elegantissime transtulit ? Denique monendum est , medicamentorum compositiones , quibus utor , nisi aliter significatum fuerit , illas Me intelligere , quae in novissima *Pharmacopœia Londinenſi* exhibentur. Utcunque sit , gratum & acceptum habeant a Me cives nostri hoc qualecunque legatum , bono suo destinatum ; & valeant.

(a) *Lib. viii. cap. 4.*



C A-

C A P I T U M

A R G U M E N T A.

C A P .	P A G .
INTRODUCTIO. <i>De corpore humano</i>	I
I. <i>De febribus.</i>	10
SECT. I. <i>De febribus generatim</i>	10
SECT. II. <i>De febris solutionibus</i>	11
SECT. III. <i>De febribus continuis</i>	12
SECT. IV. <i>De febri cum exanthematibus conjuncta</i>	14
<i>Febris miliaris.</i>	14
SECT. V. <i>Febris petechialis.</i>	17
SECT. VI. <i>Erysipelas.</i>	19
SECT. VII. <i>De febribus singularibus</i>	21
<i>Pleuritis</i>	21
SECT. VIII. <i>De febribus intermittentibus</i>	22
SECT. IX. <i>De febribus vulgaribus, five publice graffantibus</i>	26
SECT. X. <i>De febribus lentis, five hecticis</i>	28
II. <i>De morbis capitidis</i>	34
SECT. I. <i>Apoplexia</i>	34
SECT. II. <i>Paralyisia</i>	37
<i>Chorea Sancti Viti</i>	39
SECT. III. <i>Epilepsia & Vertigo</i>	39
<i>Tetanus</i>	40
	II.

Capitum argumenta.


CAP.	PAG.
III. De <i>insania</i>	41
IV. De <i>angina</i>	56
V. De <i>morbis pectoris</i>	60
<i>De asthmate</i>	60
VI. De <i>morbis cordis</i>	64
VII. De <i>morbis ventriculi & intestinorum</i>	67
SECT. I. <i>Alvi fluxus</i>	68
<i>Dysenteria</i>	68
SECT. II. <i>De ileo</i>	70
SECT. III. <i>De lumbricis</i>	72
VIII. <i>De hydropo</i>	76
IX. <i>De jecinoris morbis</i>	96
SECT. I. <i>Icterus</i>	96
SECT. II. <i>Diabetes</i>	100
IX. <i>De morbis renum & vesicae</i>	103
X. <i>De morbis oculorum</i>	110
SECT. I. <i>De gutta serena</i>	111
SECT. II. <i>De suffusione vel cataracta</i>	114
SECT. III. <i>De albugine oculi</i>	116
<i>Odorum vires</i>	117
XI. <i>De podagra</i>	120
XII. <i>De doloribus articulorum</i>	125
XIII. <i>De morbis cutis</i>	128
<i>De scabie</i>	128
XIV. <i>De strumis</i>	131
ATRONOM	XV.

Capitum argumenta.

CAP.	PAG.
XV. De scorbuto	135
XVI. De malo hypochondriaco	141
XVII. De animi affectibus	144
XVIII. De morbis mulierum	149
SECT. I. Menstruorum suppressio	149
SECT. II. Immodicus mensium fluxus	150
SECT. III. Fluores albi mulierum	151
SECT. IV. De morbo hysterico	153
SECT. V. De partu difficulti	154
XIX. De morbis venereis	155
XX. De morbis, qui alias superveniant, aut in alias mutantur	158
CONCLUSIO. De vitae regimine	161



MONITA



MONITA ET PRÆCEPTA
M E D I C A.
INTRODUCTIO.

De corpore humano.

RIUS QUAM morbos, quibus corpus nostrum est obnoxium, explicare aggredior, operae pretium erit de illo, quale sit in statu integro & sano, quaedam breviter praefari.

SI quis igitur veram corporis humani imaginem sibi fingere velit, is machinam quandam hydraulicam summo artificio constructam, in qua sint innumeri canales humoribus diversi generis

A

fe

2 De corpore humano.

ferendis apti & accommodati, animo concipere debet. Horum praecipuus est sanguis, ex quo liquorcs derivantur, variis vitae nostrae usibus & officiis inservientes; in primis autem ille, quem spiritus animales vocant, qui in cerebro generati, & vi insigniter elastica praediti, motus omnis ac sensus sunt instrumenta; quorum neutrum efficere possent, nisi materiae accommodae inhaererent. Idcirco fibras duplices generis, cum carneas tum nervosas, actuosi hujus principii receptacula, formavit Divinus rerum Conditor; quarum utraeque partim membranis corporis intertextae sunt, partim in funiculos colligatae membris adhaerent, ad horum motiones omnium adjumento peragendas.

ADMIRANDA autem ista compages primum motorem adhuc desiderat, cum sepe movere nequeat. Mens igitur ut dux & moderatrix praeficitur, quae motus omnis & sensus in corpore est effectrix. Illa enim, sive in capite, tanquam in arce sua, habitat; sive ejus locus nullus est, sed per totum corpus sparsa discurrit, quod a Xenocrate, Platonis discipulo, disputatum est (a); dominatur in nobis, & res administrat. Motus autem nostri, pariter ac sensus, tam interni sunt, quam externi: illi non tantum partes vitales, quales sunt cor, pulmones, & ventriculus cum intestinis, subjectas sibi tenent; sed & membranas quascunque nervosas.

C A E -

(a) Vid. Laetant. De opificio Dei, cap. 15.

CAETERUM insigne quoddam discriminem vulgo ponunt auctores Medici inter motus, quibus aguntur vitalia; & eos, qui caeteras partes agitant: illos, postquam a prima nativitate semel coepi-
rint, persistare, & etiam nobis non volentibus,
necessario permanere, hos vero ad mentis arbi-
trium, prout res incidunt, fieri autumantes. At
hoc male judicant, eo decepti, quod naturales
illas actiones, licet nobis parum consciis, per om-
nem vitam continenter persistere vident, nec quan-
tum sentimus interrumpi: cum tamen, si ea res
recte perpendatur, liquido patebit non alia ratio-
ne vitales istos motus ab animo minime regi vi-
deri; quam quod illis nunquam non assuefacti
tam prompte & sine attentione eos persicimus.
ut volentes etiam cobibere & impedire, quo mi-
nus incepturn munus execui pergant, haud faci-
le possumus. Tale quid experimur, quoties ad
solis radios, vel aliud quiddam, quod oculos per-
stringit, connivemus etiam nolentes; & tamen,
mente sic jubente, illas motiones fieri nemo du-
bitat. Possim id multis aliis documentis probare
& illustrare, sed nimis longum esset; malim i-
gitur lectori commendare tractatum a doctissimo
medico Porterfieldio editum, qui hanc rem satis
dilucide extra dubium posuit (a).

NULLIS autem in casibus magis elucet talis
animi virtus, quam in iis praesertim febribus,
quae

(a) Vid. Medicinal Essays, published at Edinburgh,
Vol. III. Essay 12. & Vol. IV. Essay 14.

quae pestilentes dicuntur. In his enim obserua-re licet, mentem festinanter fabricae laboranti succurrere, contra hostem pugnare. Et spirituum animalium ope, nobis id non sentientibus, novos in corpore motus excitare, quibus venenum, quod humoribus infedit, per omnes meatus foras ex-pellatur. Hinc mortuum naturae certamen, pro-priam salutem propugnantis, Medici sapientio-res definierunt.

ET isto quidem modo universae machinae peri-clitanti prospicitur. Sed et pari alicui singula-ri aliquando consulere oportet, neque tum deest officio suo animus. Etenim si in locum quemvis fortuito inciderit vitium, ne is onere nimio gra-vetur et doleat, a Natura provisum est, ut sanguini et humoribus per canales vicinos detur transitus. Id autem fit mirabili ita corporis di-spositione, qua liquorum tubuli sibi impliciti at-que intertexti quaquaversum sparguntur; ita ut non tantum ex venis in venas, sed ex arteriis etiam exilibus in alias, transeat sanguis. Id circo illic praecipue comparet hoc artificium, ubi obstruktionum maximus est metus; ut in capi-te, abdome, et longis illis ductuum, qui ad genitalia pertingunt, anfractibus videmus.

ATQUE eo quidem magis necessaria est talis fabricae nostrae constructio; quod, etiam si non interveniat morbus, ipsae interdum corporis ac-tiones et consuetudine per has vias liberius, quam illas, humores circumferri postulant. Hinc ii-dem

dem sanguinis canales in aliis atque aliis hominibus, ut usus exegerit, largiores aut angustiores fiunt, prout plus minusve a perpetuis fluidorum motionibus dilatentur. Ita vinolentis arteriae in capite, libidinosis in genitalibus plus turgent, quam in sobriis, & rebus venereis minus deditis.

POSSEM his & illud adjicere, quod vix fieri potest, quin ipsa partium animalium textura, licet vitae nostrae convenientissima sit, in casibus tamen nonnullis aliqua ferat incommoda; haud aliter sane, ac in universa mundi compage necessario in locis quibusdam fulmina, ventorum turbines, terrarum inundationes, pestes, & consimiles calamitates nonnunquam eveniunt. Ut his autem malis occurrit atque obstitit, prout rerum fert natura, Supremus orbis Conditor; ita & illis, quae parvus noster patitur mundus, idonea adjumenta opposuit.

IN eo autem diu laborarunt Geometrae, ut machinam effingerent, quae in motu suo indefinenter persisteret, quam nobile perpetuum appellant; sed votis semper excidentes operam luserunt. In istiusmodi enim operibus unoquoque temporis puncto aliiquid de vi motus effectrice perit, cedente nimirum, sensimque necessario ab ipsis partium frictionibus imminuta, virtute movente; unde perpetuo renovari opus est. Ob hanc igitur causam solius est Omnipotentis rerum Conditoris tale machinamentum perficere; qui corpus

A 3

no-

nostrum fabricam ejusmodi esse voluit, potentias quasque ita disponens, ut esset harum quasi orbis, quo semper ac simul munus suum exequentes sese mutuo reficerent.

Ex his manifestum est non per partes, sed totam simul formari compagem animalem; cum fieri nequeat, ut motionum circulus peragatur, quarum aliae ab aliis pendent, nisi ad sint omnia illarum instrumenta. Nam, ut exempli causa dicam, qua ratione cor poterit se contrahere, ut sanguinem propellat, sine spirituum animalium adjumento, qui nec ipsi sine cerebro confici possunt? Par ratio est aliarum partium principium. Quae igitur microscopiorum ope animalcula in semine masculino innatantia conspicimus, sunt revera homunculi, qui in uterum muliebrem recepti, tanquam in nido foventur & crescunt, justo tempore excludendi. Redissime ergo dixit olim Hippocrates: Nullum quidem corporis est principium, sed omnes partes aequae principium & finis sunt (a).

HACTENUS dictis unicum illud adjiciam, ejus esse naturae machinam omnem animalem, ut partium eam constituentium quaedam sit quasi infinitas; ita ut ultra quam nos sensibus, etiam microscopiorum, ut vocant, ope adjutis, asequi possimus, in fila tenuissima abeant. Si secus esset,

(a) Ἀρχὴ μὲν ὑδημάτων οὐ σώματος, ἀλλὰ πάστα ἐμόνισται τελευτή. Lib. De locis in homine.

set, neque in corpus universum distribueretur alimentum, neque vitae officia peragi possent.

IN summa igitur, motiones humorum ad normam peractae, simul cum apto partium solidarum statu, sanitatem constituant; harum autem aberrationes sunt morbi, quae cum innumerae sint, & altera saepe alteram prognat, miraculum fere videtur, si corpus animale ad longevitatem unquam perduci possit. Atque hinc profecto, quam late pateat medicinae usus, quantumque illa aliis omnibus artibus praecellat, perspicuum est.

MACHINAM autem hanc, quae unica motum perpetuum habet, pro varia viventium ratione ad longius aut brevius tempus duraturam finxit Geometra ter Optimus Maximus. Nam perpetuo in vita durare, quale nos gerimus, corpus omnino nequit; cuius rei causam haud difficile est explicare. Fibrae enim membranose canalium, qui sanguinem vobunt, quas virtute elastica ad liquorem inclusum protrudendum praeditas esse diximus, rigidae sunt & duriores; unde usibus suis ineptae evadunt, & humorum secretiones in singulas partes sensim diminuuntur. Porro, quod ad vitam summe necessarium est, inutiliem vaporem per angustissimos cutis meatus in senio haud satis perspirare, cadaverum eorum, qui aetate sunt confecti, incisiones demonstrant; quae interiores arteriarum partes ossea materia hic illuc obductas, adeo ut resiliendi vim fere amiserint,

A 4 in-

interdum ostendunt. Quin & ora ductuum naturalium, ad cartilaginis duritiem confirmata, in bujusmodi casibus saepe reperiuntur.

Duo proferam, quae ad hanc rem pertinent, illustria exempla, quorum alterum suppeditant nostri Annales. Pauper quidam agricola, nomine Thomas Parr, in agro saluberrimo Salopiensi natus est, ubi ad annum usque centesimum & trigesimum opere rustico se strenue exercevit; deinde oculis captus, Londinum tandem adductus est, ubi aliquamdiu commoratus, postquam centum & quinquaginta duos annos cum novem mensibus vixerat, anno MDCXXXV. decesit. Mortui corpus cultri sui anatomici honore dignatus est immortalis ille sanguinis circuitus detectus, Gulielmus Harveius; qui caetera quidem omnia sana, cerebrum vero firmissimum & ad tactum solidissimum observavit (a). Ita liquorum canales in illa parte longa dies induraverat.

ALTERUM, quod dixi, exemplum in Actis nostris Philosophicis memoratur. Narratio est de sene quodam decrepito Rhaeto, metalli fossore, qui cum centum & novem annos cum tribus mensibus compleverat, anno MDCCXXIII. obiit, a doctissimo medico, Johanne Jacobo Scheuchzero Tigurino, buc transmissa. In secto ejus cadavere lienis exterior membrana maculis nivei can-

(a) Vid. Anatomiam Thomae Parri, ad finem Libri Joannis Betti, De ortu & natura sanguinis, adjunctam.

candoris, primo intuitu variolarum pustulas referentibus, obfessa reperiebatur; quae cartilagineae prorsus erant duritiae, & ultra superficiem reliquae membranae aliquantulum elevatae: sterni prominentiae cum ipsis costis continuae, & plane ossae erant: tendo ille, quo cordi inferuntur arteriae, vel osseus plane, vel saltem cartilagineus: valvulae semilunares, praeprimis arteriae aortae, plane cartilagineae: dura autem cerebri meninx triplo fere solito crassior, & coriacea deprehendebatur (a).

SED ad machinae hujus vitia, quae motus illius turbant & pervertunt, jam ov̄ Θεον progre- diendum est.

(a) *Philosophical Transactions*, Numb. 376.



C A P U T I.

De febribus.

S E C T I O I.

De febribus generatim.

FEBRIS omnis, licet variae sint ejus species, coniunctum habet sanguinis & humorum calorem praeter naturam. Is vires corporis, actionesque vitales laedit. Idecirco morbum, quasi infensum hostem, inito quodam certamine, oppugnat Natura; quae si victrix evadat, per quascunque potest vias id, quod nocet, expellit. Hoc morbi solutionem vocant Medici. Quid autem per vocem naturae hic intelligi debeat, uti etiam nonnulla, quae ad febrium distinctionem pertinent, alias exposui (*a*); simulque indicavi, quo sensu Medici, & in primis Sydenhamus, dixerint; Morbum nihil esse aliud quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem in aegri salutem omni ope molientis (*b*). Quaedam igitur de febris solutionibus in antecessum dicam.

S E C-

(*a*) Vid. Lib. *De variolis Cap. II.*(*b*) Observat. medicae circa morbor. acutor. historiam, in principio.

S E C T I O . I I .

De febris solutionibus.

CUM nulla febris sine insigni aliqua exinatione , aut sponte naturae , aut arte facta , sanetur ; prospicere debet Medicus , quanam via materiae morbidae expulsionem Natura morli videatur , & hanc omnibus modis adjuvare . Illa vero saepissime per plures simul corporis meatus peragitur , & altera alteri plus minus obstat ; ita fluxus alvi sudores reprimit , & contra . Hinc attendere oportet , qualis humoris emissio plurimum profutura sit , & hanc ita promovere , ut alia quaecunque quam minimum interrumptatur ; non enim omnibus eadem convenit , tum propter diversum laborantis temperamentum , tum ob varium morbi genus : quanquam & per omnes exitus expurgatio interdum sit necessaria ; ut in febribus , quae malignae dicuntur , usu comperimus .

OMNIUM autem maxime optabilem morbi solutionem efficiunt sudores : secundum illos alvi & urinae fluxus : pessima est haemorrhagia , sive ex naribus , sive ex alia quavis parte proveniat ; ostendit enim ita vitiatum esse sanguinem , ut nulla idonea humoris separatio ex illo fieri possit .

IN febribus denique nonnullis suppurationes in glandulis factae , modo sub exitum morbi eveniant , & perfectae sint , corpus in integrum

grum restituunt. In his igitur id agendum est, ut per cataplasma aut emplastra, nonnunquam & cucurbitulas tumori accommodatas, materia morbi primum maturescat; deinde vero, nisi sponte proruperit, scalpello aut medicamento caustico emitatur.

R E C T E interim plerumque praeccipitur, ut ne ullis tunc temporis exinanitionibus exhaustantur vires. At nihilominus ita res interdum fert, ut modica saltem fanguinis missione opus sit; nimirum si forte materia ultra modum turgeat, & nimius urgeat calor: hoc enim prudenter facto, abscessus ad maturitatem perdicitur, ideo quod natura a turbulentō rerum statu semper abhorret.

S E C T I O I I I .

De febribus continuis.

N U L L I morbo magis convenit utile illud praeceptum, *Principiis obſta*, quam febribus. Inter initia enim juvare plerumque facile est; at cum malum jam invaluit, difficilius aegrotanti succurritur. Praecepſ enim occasio eſt (a); & fruſtra ſaepe ea medicina eſt, occupato jam morbi corpore fractisque viribus, quae in principio a periculo expedire hominem potuiffet. Neque tamen fato ſuo permittendus eſt, qui auxi-

(a) Οὐ καὶ ποὺς ἀγέσ. Hippocr. Aphor. I.

auxilium fero petit; quandoquidem morbos, antiquissimis temporibus ad iram divinam relatōs (*a*), ars nostra, quae Dei ipsius donum est, etiam cum res jam desperatae videntur, non raro depellat. Circumspicere igitur oportet Medicum, neque officio suo unquam deesse.

Et primo quidem, quoniam praestantissimum in febribus omnibus incipientibus remedium est sanguinis detrac^tio; si culpa quavis illa praetermissa fuerit per aliquot dies, num adhuc ea fieri debeat, dispiciendum erit.

Si intolerabilis igitur in quacunque parte corporis dolor urget, si spiritus aegre trahitur, vel si delirium accessit, sanguis pro ratione viuum mittendus erit; aut scalpello, si illae satis constent; aut per cucurbitulas, si fuerint imbecilliores; aut denique per hirudines, si infirmissimae videantur. Atque haec, si consistente jam morbo fieri possunt, multo magis in principio locum habent. Et hirudines quidem, ut illud in transcurso moneam, premente delirio, saepe insigniter juvant. Nonnunquam etiam in furibundis pulmonis aliquas portiones, ex agno recens maectato calentes, capiti impositas furores compescuisse comperi, exsudante nimirum e capite inutili humore.

Quo manifestius autem percipiantur ea, quae de hoc morbo proponendo habeo, praecipua ejus genera summatim exponam; quae ad aegri gubernationem, victum, similiaque perti-

(a) Vid. *Celsum in praefat.*

pertinent, ex auctoribus, Celso in primis, & Lommio ejus aemulo, qui haec dedita opera tractarunt, haurienda relinquent.

S E C T I O I V.

De febri cum exanthematibus conjuncta.

PROPRIAM animadversionem desiderant febres, quae exanthemata secum ferunt. Ad variolas autem & morbillos, quin & ad pestem, quae spectant; ea jam olim a nobis in libris singularibus sunt exposita. Aliarum praeципua est

Febris miliaris.

HAC nulla faciem magis variam ostendit. Pustulae nimirum asperae per totum corpus, citius aut tardius, prorumpunt; nunc rubrae, nunc albidae, interdum illae his commixtae; nunc minores, nunc elatiores, male olentes: suspiria, & praecordiorum anxietates, frequentissime premunt: accedunt non raro delirium, nervorumque distensiones. In longum trahit morbus; quod si forte, non satis perfecta solutione, citius desinat, malo corporis habitu saepe plectitur aeger. Exanthemata rubra minus periculum afferunt, quam albida; illaque, quo vividiora persistant, eo sunt tutiora. Ex hisce liquet, ab humorum vitio magis quam aëris, adjuncta spirituum animalium

lum labe, febrem hanc orifi; quam non uno & eodem modo, sed cura alia atque alia, de- pellere oportet.

C U J U S C U N Q U E autem generis fuerunt pu- stulae, sanguis in principio, modo vires finant, mittendus est: sin corpus sudoribus diffuat, aut detractione abstinentur, aut ea in diem unum aut alterum, vel in tempus opportu- nius, differenda est. Longe vero melius fe- runt sanguinis imminutionem exanthemata ru- bræ, quam albida; cumque in utrisque vesica- toria ex usu sint, magis sunt in his necessaria, & tum cervici, tum capiti, membrisque om- nibus, temporis intervallis, imponi debent. Illud autem animadvertere oportet, quo mi- nori copia missus fuerit sanguis, eo tutius ut plurimum finiri morbum; deficientibus enim extremis diebus viribus, pustulæ retrocedunt, & aeger moritur.

M A T E R I A E expulsionem adjuvare oportet medicamentis, quae vim habent humores e sanguine propellendi. Horum convenientissi- mum erit pulvis *bezoardicus*, vel pulvis *contrayer- vae compositus*, aut *confectio cardiaca*; adjuncto, si inflammatio urgeat, *nitro*: quod quidem in omnibus fere febribus malignis, cardiacis di- ctitis remediis, saltem in principio, admiscere utile erit. Interdum etiam convenit, inclina- to jam morbo, balneo tepido lavari, quo pu- stularum reliquiae foras exeant.

S I N autem vesiculae tantum exiguae, pel- lucidae, quae vix cerni possunt, & innume- rae, consistente morbo, aut sub ejus finem,

in

in cuticula se ostenderint; non nimis diu internis ejus generis remediis infistere oportet, nisi forte etiam valentiora aegri vires longa valedutine exhaustae requirant. Vim enim febrem solvendi non habent humidae istiusmodi summae cutis asperitudines, at difficilem & longam plerumque aegritudinem indicant: idcirco, nondum intermisso vesicatoriorum usu, per alias vias, maxime autem per intestina, expurgandus erit morbi fomes; quae *rhabarbaro*, vel *manna*, adjecto *sale Glauberi*, commode laxabuntur.

ILLO D in hoc morbo interdum usu venit, ut non uno solutionis genere, sed alio atque alio finiatur; est & ubi pluribus simul, quod & in aliis, ut dixi, quae malignae dicuntur, febribus saepissime contingit. Ita nonnunquam, ejecta eodem tempore per alias vias morbi materia, aphthae palatum atque os totum occupant, & ad uvam faucesque descendunt. Hae cum singultu plerumque incipiunt: & si albidae cum humore copioso prorumpant, multumque salivae exspuatur, non magnum periculum sed salutem potius ostendunt, morbumque solvunt; sin contra nigrae exoriantur, & aegre materia exeat, id plerumque pestiferum est, strangulatis nimirum faucibus vi pituitae obsefisis. In his omnibus gargarizationes fieri debent *decocto bordei*, addito *syrupo mororum*, aut alio consimili; vel etiam *decocto pectorali* dicto. Neque enim reprimenia quoconque modo adhibenda sunt.

MIRABITUR fortasse quis Sydenhamum,
tum

tum ad ipsam hanc febrem , tum ad uleuscula ista , *corticis Peruviani usum praecipere* ; quem sibi semper bene cessisse dicit (a). Id autem non temere fecit sagax ille medicus : haud raro enim intermittit ista febris , non apparentibus aphthis ; saepius vero , his decedentibus , definit. In utroque casu insigne hoc antidotum quam maxime prodest. Summus autem ille vir morborum vulgarium recursus Hippocratis exemplo observare solitus , quos pro vario caeli more iisdem anni temporibus variare plerumque comperit , primus apud nos febrem hanc descripsit ; quam anno MDCLXXXIV. postquam frigore gravissimo longoq[ue] saevierat hiems , mense Februario anni insequentis ortam fuisse animadvertisit. Hinc credere par est gelu nimio constrictas summi corporis fibras , indeque humores , imminuta perspiratione , aciores factos illam genuisse.

S E C T I O V.

Febris petechialis.

PETECHIAE , unde haec nomen habet febris , sunt maculae latae , rubrae , pulicu[m] morsibus similes , non ultra cutim summam eminentes. Maximum autem vitae periculum ostendunt , cum , ut interdum fit , lividae vel *nigrae*

(a) Vid. *Schedulam ejus monitoriam.*

nigrae evadunt; hae enim revera sunt gangraenulae, ideoque quo plures numero comparent, eo gravior subest metus.

ERRANT plerumque in hoc casu Medici, statim in principio medicamentis, quae sanguinem & humores calefaciunt, sudores movendo. Tutius longe est, ut modo proposui, pulvere bezoardico, vel potius *contrayervae* compito, adjecto nitro, serpentem gangraenam prohibere; aut *confectione cardiaca*, *aqua alexteria simplici* soluta, adjecto *aceto vini*, naturam adjuvare: *spiritum* etiam *vitrioli dulcem* potulentis instillare; *vino Rhenano* vires reficerre; denique *herdei decoctum*, adjecto *succo limoniorum*, potui dare, convenientissimum erit. Omnes autem istiusmodi liquores affatim bibendi sunt, ad sudores etiam movendos *calcem antimonii*, adjuncto pulvere bezoardico, per intervalla exhibere interdum ex usu erit, *calcem* vero non nimis lotam esse volo. Illud tamen opus est monere; quod non raro fit, praesertim sub morbi finem, ut oppressae aegri vires medicamenta calidiora, cordi utilia, desiderent; qualia sunt *radix serpentariae Virginiana*, *contrayervae*, *valerianae sylvestris*, *crocus*, & similia. Horum autem infusiones ex aqua ipsis pulveribus erunt longe commodiores, praesertim si *aceti destillati* portio aliqua admisceatur.

S E C.

S E C T I O V I .

Erysipelas.

NON levem attentionem requirit illa febris, quae secum Erysipelas conjunctum habet. In hac enim non tantum dolor, sitis, & inquietudo vexant; sed & pustulae in variis corporis partibus in gangraenam interdum absunt.

SANGUIS igitur copia satis larga quam primum mittendus erit, deinde potionibus catharticis alvus iterum atque iterum movenda. Hae autem, quales febribus convenient, lenes esse debent; infusiones nimirum *sende*, adjuvata *manna*. Neque sane aliis quivis morbus acutus facilius iteratam purgationem fert, praesertim ubi cum tumore inflammatio caput obsidet; serpit enim in horas humor, & partes vicinas trahit.

ATTAMEN periculosum est fomentis calidis ad materiam peccantem discutiendam uti; multoque magis unguentis, vel linimentis frigidis, eam reprimere. Sin autem quacunque in parte cutis gangraena vitiata sit, decocto *herbarum amararum*, adiecto *spiritu vini camphorato*, pars fovenda erit; deinde cataplasma ex *farina avenacea*, in *cerevisia*, quae *fortis* dicitur, cocta, dum calet, imponi, &, quoties opus sit, renovari debet.

ET ut id quidem femel admoneam: non in
B 2 mor-

morbis tantum acutis, sed chronicis etiam multis, in quibus pustulae cum suppuratione oriuntur, tutius & salubrius est, nisi malum in cute tantummodo haereat, leniter propellere, aut saltem aliquamdiu sinere ut erumpant (quantum scilicet molestiam hanc ferre possit aeger) quam repellere, aut per alias vias foras expurgare. Habent enim humores vitiros suam quique indolem, cumque per modum crisis plerumque prorumpant, quantumvis minui possint; vix tamen cum bonis aegri rebus per alios meatus, quam quos Natura monstrat, e corpore prorsus exeunt.

INTERNA remedia non alia, quam quae in *exanthematis* modo proposita fuere, hic usui erunt.

FINEM de febribus malignis differendi faciam, postquam de duobus tribusve remediis praeter ea, quae supra memoravi, aliquid dixerim. Observatu autem dignum est, illa omnia maxima sudores movendi virtute pollere.

CAMPHORAM in primis laudant multi. Et quidem, ut de aliis auctoribus nihil dicam, extat apud Riverium, Medicum experientissimum, narratio una & altera de insigni ab illa praestito juvamine (a). Notandum est autem non solam, sed medicamentis refrigerantibus conjunctam (id quod in *febribus petechialibus* faciendum monui, ubi calida remedia exhibentur) profuisse; maximo enim calore illa praedita est. Ideoque commodissimum erit for-

ma

(a) Vid. *Observation. Medic. Centur. xi. Observat. 18.*

ma hujusmodi adsumi : Drachma ejus una , cum paulo *spiritus vinosi* trita , *sacchari purissimi* unciae dimidiae perfecte admisceatur ; tum *acetii calefacti* libra una sensim assundatur . Hoc modo remedium illud , quod alioquin ad nau- seam concitandam aptum est , ventriculo gra- tius fit , & morbo etiam accommodatius .

E A D E M ratione etiam *spiritus Mindereri* in febribus putridis quibuscumque usus est exi- mii (a) .

M O S C H I denique vires , urgentibus prae- fertim convulsionibus , non semel expertus sum . Dedi autem , iteratis vicibus devoran- dum , bolum ex hujus , *confectionis cardiacae* , & *cinnabaris antimonii* , singulorum scrupulo semis , confectum .

S E C T I O V I I .

De febribus singularibus.

Q U A E cum partium aliquarum inflamma-
tione conjunguntur febres , partibus illis con-
gruentem curationem desiderant . Exemplo
erit

Pleuritis.

I N hac enim detracto primum , quantum
opus est , sanguine ; ad tuſſim levandam , *olei*
ex

(a) *Pharmacop. Edinburg.*

ex seminibus lini recens expressi potionēs; ad refrigerandum, *nitrum*; ad sanguinem in canaliculis suis haerentem solvendum, *sanguis birci sylvestris*, *saliaque volatilia*; denique ad foras extrahendum peccantem humorem, emplastrum vesicatorium lateri affecto impositum, insigniter prosunt. Et externi quidem hujus remedii commodum, quod a sagacissimo Mayernio primum edocitus fui (*a*), multis jam annis compertum habeo. Sub finem autem morbi, remittente jam inflammatione, alvum laxare oportet.

ILLUD autem non est praetermittendum, fieri nimirum interdum, ut in hoc morbo, & magis etiam in peripneumonia, inflammata primum, inde & pleurae adhaerente, extima pulmonis membrana, eveniat abscessus purulentus, quem *empyema* vocant. Hoc in casu, si foras se ostenderit humor, imponendum est medicamentum causticum, quo emittatur. Ulcus autem per totam vitam apertum servare oportet. Vidi enim cum, eo sanato, & materiae purulenta effluxu prohibito, brevi reretur aeger.

S E C T I O V I I I .

De febribus intermittentibus.

FEBREM intermittentem non satis tuto cor-
tice

(a) *De morbis internis Syntagma primum, Cap. v. De pleurite.*

tice Peruviano discuti posse, nisi primum eliciatur vomitus, & alvi etiam dejectiones cieantur, haud ignotum est; at huic remedio lenne aliquod catharticum adjungi novum fortasse videbitur. Minui enim, quinimmo frustra esse, hujus pharmaci vires vulgo putant Medici nostri; nisi interea, dum id assumitur, venter sit adstrictus. Longa autem Me docuit experientia neesse plane esse, exiguam portionem *rhabarbari* remedio huic admiscere; ea scilicet ratione, ut alvus bis saltem quotidie dejiciat. Neque unquam virtutem illius hoc modo fractam, sed feliciter potius auctam suisce, animadverti. Licet enim ea, quae valentius irritant, sanguinem & humores perturbando irrita reddant omnia: moderata tamen purgatione id consequimur, ut ingesta quacunque, sive medicamenta sive cibos, facilis concoquat ventriculus; & ex his, quod tenuerit & corpori est utile, in venas emittat.

CONSILIU M cepi corticem hunc febribus accommodatissimum sic exhibendi, postquam annis abhinc fere viginti febres intermitterentes, quae tunc per populum solito saevius gravabantur, in malum corporis habitum, immo & hydropem, frequenter desinere percepi; cui malo occurri posse credebam istiusmodi curatione. Nec Me spes Mea fecellit. Quod ut statim comperi, quotiescumque humoribus crassioribus gravatum corpus offenderem, eandem tenui medendi viam. At cautio tamen erat, ne ultra modum purgare pergerem. Idcirco, cum jam drachma una aut altera *rhabarbari*

barbari assumpta fuerit, ab exinanitione desistere soleo, & celebris hujus antidoti usui per se insistere. Et praeter memorata jam commoda illud etiam observavi; quod, depulso hac mendendi ratione morbo, iterati in eundem lapsus minor semper est metus.

SUPER insigni autem hoc medicamento, illud porro monendum habeo, quod non aliis, quam intermittentibus febribus congruit. In continuis enim adeo non prodest, ut multum obsit; atque in hec tisis illis, quae cum exulceratione partium aliquarum internarum sunt conjunctae, perniciosum est; licet circuitus suos hae frequenter habeant, & intermittentis aut quotidiana, aut tertiana, speciem praebant. Unde fortassis conjicere licet, in billem solummodo hoc remedium vires suas exercere; hunc enim humorem in intermittentibus maxime peccare Mihi minime dubium videntur.

EVENIT autem non raro, ut etiam in febre revera intermitte effectum non fortiaatur magnum hoc Dei donum; quod ob malum corporis temperamentum plerumque accedit. Displicere igitur oportet, qua in parte sit vitium; quod in visceribus, & glandulis abdominis, ut plurimum haerere deprehenditur. Purgationibus itaque, interdum & vomitionibus, opus est; quibus interponenda sunt ea medicamenta, quae obstrunctiones referant, & ventriculi concoctionem juvant; inter quae amara, quae simul aromatica sunt, & e ferro parata, principem locum tenent. Et hanc fane

sane ob causam, febres quartanae aliis quibus-
cunque intermittentibus, curatu sunt difficilio-
res: in his enim inertes sunt, & ultra modum
viscidi, sanguis & humores omnes; ita ut du-
plici morbo occurrendum sit, tum malo corpo-
ris temperamento, tum etiam febri. Idecirco,
adjunctis cortici Peruviano radice serpentariae Vir-
giniane & chalybe, res plerumque bene agitur.
Quanquam nec illud hic observare alienum erit,
Me pluries, cortice ipso votis non respondente,
pulvere ex floribus chamaemeli, myrrha, saleque
absinthii, adjecto paulo aluminis, composito,
febres intermittentes depulisse.

PLUS autem periculi habet illud febris in-
termittentis genus, quam *semitertianum*. hoc est,
semitertianam, Graeci appellarunt. Haec tertio
quidem die revertitur, atque ex octo & quadra-
ginta horis sex & triginta fere per accessionem
occupat; interdum vero plus vel minus, neque
ex toto in remissione desistit, sed tantum fit
levior. Hinc recte Galenus ex quotidiana con-
tinua & tertiana intermittente illam confusam
esse dixit (a).

PROPRIAM igitur animadversionem desi-
derat hic morbus; qui quidem ex inflamma-
tione partium internarum, quae adjunctam
habet obstruktionem ab humoribus biliosis, &
lympna nimium tenaci, exoriri videtur. Mit-
tendus ergo erit semel aut iterum, pro ratione
virium, sanguis. Alvus etiam per vices laxa-
ri debet, medicamentis vero lenissimis, qua-
lia

(a) *De different. febr. Lib. II. cap. 7.*

lia sunt *sal diureticus*, *manna*, *sale cathartico Glauberi addito*, & consimilia. Neque *corticis Peruviani usum festinare oportet*; metus enim est, ne viscerum meatibus magis adhuc ab illo oppilatis, augeatur inflammatio, aut febris hectica succedat. Longe tutius erit potionis primum ex *succo limoniorum*, commisto *sale absinthii*, adjecta etiam *aqua cinnamomi simplici*, frequenter hauriendas aegroto praebere.

S E C T I O I X.

De febribus vulgaribus, sive publice grassantibus.

FEBRES vulgares ex vitio aëris nobis circumflui oriuntur. Id autem a caeli temperamentis, calore, frigore, siccitate, & humiditate, maxime fit, ubi nimirum horum quodvis aut exsuperat, aut intempestive alterum ab altero excipitur.

IN Graecia & Asia tota, ubi sibi aequalia ut plurimum sunt anni tempora, & venti a diversis plagiis statim fere mensibus spirant, viris sapientibus promptum erat tempestatum varietates, commodaque & incommoda, quae secum ferebant, observare. Atque haec observatione artem morbos praesagiendi usu diurno fecit; in qua medicinae parens, Hippocrates, primus excelluit.

IN nostris autem regionibus tanta est caeli in-

inconstantia, & tot causae ventos, incertis vicibus secum pugnantes, concitant, ut nulla de his certa ratio iniri possit. Idecirco Sydenhamus noster, qui Hippocraticae doctrinacae amulus febres anniversarias, harumque pro variis tempestatum generibus diversas species describere aggressus est, didicit tandem, „ Se „ nihil promovisse in causis morborum epidemicorum expiscandis manifestas aëris qualitates notando: quippe qui animadverterit „ annos, quod manifestam aëris temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum „ morborum agmine infestari; & vice versa: „ item varias esse annorum constitutiones, „ quae neque calori neque frigori, non sicco „ humidove, ortum suum debent; sed ab oculata potius & inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent (a).

RES haec, Meo saltem judicio, ita se habet: Multum valere in morbis vulgaribus gignendis manifestas aëris qualitates extra dubium est; quibus & aliae accedunt causae, quae vim illarum multis modis nunc augendo, nunc minuendo, immutant. Hae ex terra in primis oriuntur, ubi nimisum, ut sapienter dixit Lucretius,

*Putrorem humida nocta est,
Intempestivis pluviisque & solibus ita (b).*

Ut terrestris autem ille putror plurimum nascitur

(a) *De morbis epidem. cap. II.*

(b) *Lib. vi. vs. 1099.*

tur ex corruptis variii generis herbis, interdum etiam ex animalium cadaveribus, atque mineralibus; ita aquae, stagna praesertim & paludes, quae suas herbas, suaque animalia alunt, eodem modo pestiferos saepe exhalant spiritus, circumfusi aëris inquinamenta. In hunc censem denique veniunt, rarius tamen in nostris plagis, maris fluminumque inundationes, terrae motus, montium eruptiones, & quaecunque aliae insignes rerum naturalium mutationes, aethera, quem spiramus, corpusculis vitae nostrae minus idoneis replere possunt. Haec enim corpora nostra afficiunt, & morbis opportuna reddunt.

S E C T I O X.

De febribus lentis, sive hecticis.

Tot habent causas, easque multum diversas, febres lentae, quae *hecticæ* vulgo dicuntur; ut non idem morbus, sed aliis atque aliis esse videantur. Omnium autem perniciosissimæ sunt, quae ex partis alicujus in corpore praecipuae, pulmonis in primis, exulceratione originem trahunt, materia nempe purulenta sanguini commista, quae motum ejus inordinate turbat.

ID autem animadvertisendum est, illos maxime his pulmonis exulcerationibus obnoxios esse, quos pueros aut juvenes strumæ vexaverant.

Quo-

Quocirca memini olim experientissimum Medicum, Radclivium, dicere solitum,, phthises in nostris & frigidioribus regionibus esse plurimumque strumofas. Saepissime itaque videmus in tabidis, post mortem incisis, pulmonem tuberculis seu glandulis induratis obsitum, quae suppurantia pus expuerant.

VARIOS hujus morbi gradus, eorumque invicem successiones, accurate descripsérunt Medici; nonnullas tamen ex primis illius causis suas habere periodos haud satis animadvertebunt. Hisce autem circuitibus, quantum id fieri possit, occurrere quam maxime proderit. Ita non paucos certis temporibus, aut sanguinis sputo, aut pituitae tenuis in pectus fluxione, interdum & bilis flavae rejectione tentari videmus. His omnibus nobile illud antidotum, *cortex Peruvianus*, adjunctis illis, quae pulmoni convenient, opitulabitur; ante tempus nimirum datus, quo malum recurrere solet: quod & in aliis pariter haemorrhagiis obtinet. Hoc vero medicamentum, cum jam exulceratus est pulmo, plurimum nocet; uti mox dicetur.

IN pulmonis autem ulceribus, *lactis* usum in primis commendant Medici, ut duplii commodo in medicinam pariter ac nutrimentum cedat. Cautione tamen hic opus est, quoniam nonnulli natura lac aversantur. Quin etiam in capititis doloribus, ac febribus acutis, factaque hinc nimia siti; item si praecordia tumeant, seu biliosae sint alvi dejectiones, aut multum sanguinis cum iis fluxerit; pro veneno lac sem-

per

per reputari debet (a). *Afininum* autem apud nos maxime eligitur, quod aliis licet minus nutritat, magis tamen calorem temperat, & deterget. Sed ubi illud non in promptu est, *serum lactis vaccini*, vel etiam *caprini*, praesertim si herbis suave oalentibus pastae fuerint caprae, in ejus locum commode substitui potest; ipsum vero *lac vaccinum*, quantumvis *decocto hordei*, ut moris est, diluatur, saepissime non convenit. Neque alienum erit *serum* illud, infusis herbis quibusdam, quae stomacho gratae sint, & flatus discutiant, morbo accommodatius parare. At infeliciter interdum evenit, ut, cum lactis usum maxime desiderat corpus, tanta sit intestinorum laevitas, ut illud ferre non possint. Cum in tali igitur loco res sit, illud hoc modo componendum est: *Flores rosarum rubrarum siccatarum,, halaystia, cortex malorum granatorum, cinnamomum, singulorum drachma una, coquuntur in lactis vaccini libra una.* Cum ebullire incipit, *frigida aqua* affunditur parva portione, ut restinguatur & subsidat; finitur iterum ebullire, & eodem modo restinguitur; idque toties faciendum est, donec libra una absumpta, lactis simul & aquae quod restat, librae unius mensuram adaequet. Tum colandus est liquor, quem totum, commisto *faccharo*, partitis, uti commodum erit, haustibus, aegrotus ebibet quotidie. Hac via nutritur simul corpus, & venter comprimitur; nec quic-

(a) *Hippocr. Aphor. Sect. v. 64*

quicquam obstat aliorum ciborum vel medicamentorum, usui hujusmodi diaeta.

MOMENTI autem longe maximi est, ut incipienti diro huic morbo occurratur; cumque ab inflammatione oriatur, missio sanguinis in primis necessaria est, non semel tantum, sed vicibus iteratis. Is, si crassus & niger, aut glutinosus profluxerit, vitiosus dicitur, & utiliter effundi putatur; contra vero, si ruber sit & pelluceat, integer habetur, neque ultra detrahitur. At facilis est hac in re in errorem lapsus. Non raro enim, cum sanguis maxime effervescit, missus e vena summo cum rubore crassus, & glutinosus est; in quo statu eo usque emitte debet, dum minus ruber minusque glutinosus evaserit, quod sine periculo fiat. Consilium autem temerarium fortasse videbitur, marcescente jam corpore, & fractis viribus, hoc auxiliū genus tentare. At praefstat certe anceps remedium experiri, quam nullum; & cum emolumento minuantur vires, ubi succurririt in vitio, quod robur corporis affidue plus labefactabit. Idcirco si, exulcerato pulmone, vehemens febris urgeat, detrac^{tio}, quantum sustinere potest aeger, juvabit; divisa nimirum in ea temporis spatia, quae ad corpus alendum necessaria sunt, ista medicina. Novi sane, rebus nondum plane desperatis, bene cessisse hanc medendi rationem; sin secus acciderit, eum Medicus occidisse minime censeri debet, qui, corruptis jam visceribus, nequaquam servari potuit.

FINEM his imponam, postquam monuerim
in

in casibus nonnullis utilissimum esse balsamicis, qualia sunt *thus*, *styrax*, *succinum*, *benzoinum*, humores acres & salsos delenire ac temperare; quae in prunas injecta vaporare debent, ut fumus eorum per tubum aptum in asperam arteriam & pulmonem recipiatur (a). Scio vix in usu esse hanc medicinam, & tanquam inutilem a plerisque negligi. Quisquis autem secum reputaverit, quam longo itinere, per canales scilicet sanguinis, res hujusmodi ad pulmonem ferantur, & quam exigua illarum pars ad locum destinatum perveniat; is fane facile videbit, si qua in illis sit virtus, haec potissimum via impertiri posse.

Ob eandem quoque rationem novi fumum ex *balsamo Tolutano*, more *tabaci*, per tubum commodum in pulmones inspiratum usus fuisse eximii, praecipue in sanguinis sputo.

EXIGUIS autem his suppurationibus subjungendus videtur largior, qui hoc in viscere quandoque fit, abscessus, quae *vomica* nuncupatur. Is morbus, et si gravis sit, & in tabem saepe definat, haud tantum periculi affert, quam minores illae exulcerationes. Vidi enim, cum materiae purulentae usque adeo graveolentis & foetidae, ut adstantes cubiculum ferre non possent, libra una aut altera, admisto sanguine, tussi rejiceretur; & tamen lacteae diaetae & balsamicorum usu, interpositis pro re nata anodynisi, in integrum sanitatem aeger restitutus est.


H A E C

(a) Vid. *Christophori Benedicti Theatrum tabidorum, sub finem. Londini, MDCLVI.*

HAEC de phthisi dicta sunt.

DUAE autem sunt aliae tabis species, quae diversis modis hominem consumunt. In una corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullisque in locum eorum subeuntibus, summa macies oritur, quam atrophiam nominant. Haec liquoris, qui in nervis est, vitio saepissime debetur; & cachexiam, quae est altera species, conjunctam habet, aut gradatim infert. In utraque propter malum corporis habitum, alimenta corrumpuntur, & partes refectionem non accipiunt; ideoque vitae genus recte ordinatum, & medicamenta ex chalybe, quae stomachum confirment, laxata subinde alvo, apprime sunt necessaria.

IN omni denique tabe exercitationibus, & fricationibus, pro virium ratione constanter uti oportet; caeli mutatio plerumque convenit; quin & interdum longa navigatio. Ex nostra regione, male affecto pulmone, aptissime Ulys-siponem aut amoenissimam Neapolim itur. Equo autem vehi, dum imbecillitas id non prohibet, vel saltem curru, lectica, aut alio modo corpus movere, nunquam non expedit.



C

CA

C A P U T I I.

De morbis capitinis.

S E C T I O I.

Apoplexia.

CONGENERES sunt plerique capitinis morbi, & a repletione ut plurimum ortum trahunt, quorum praecipuus est Apoplexia. Haec a sanguine nimis viscido, per arterias capitinis tardius fluente, & fere stagnante, interdum oritur; qui perpetuo vi cordis propulsus exiles suos canales dirumpit, & in cerebrum effusus, nervorumque motibus corporis inservientium tubulos comprimens, humoris sui in eos illapsum prohibet. Saepius autem illam progignit, sine insigni canalium disruptione, liquor aquosus & rubicundus ex sanguine profusus; aut etiam glandularum circumiacentium exsudans succus, qui tum cerebri membranas obruit, tum ventriculos ejus opplet, & spirituum animalium iter intercludit. Illam sanguineam, hanc *pituitosam*, appellare licebit. Priorem autem *fortem* vocavit Hippocrates, atque insanabilem esse dixit; alteram *levem*, curatu tamen difficultem esse monuit (*a*). Ut-

(*a*) *Aphor. Sect. II. Aphor. 42.*

triusque generis casuum quam plurimae narrationes ex libro doctissimi Wepferi, medici Scafusani, peti possunt (a). Rationes vero omnium, quae in hoc & consimilibus morbis contingunt, dilucide exposuit magnus ille rationalis medicinae auctor, Laurentius Bellini (b).

De causis externis, quales sunt ictus, lapsus ab alto, & hinc fractum calvariae os, nihil hic dicam; quoniam illae, nisi quatenus Chirurgi manum requirunt, iisdem remediiis curantur.

SANGUINEA autem detractiones sanguinis, tam e brachio, quam ex venis jugularibus, larga copia, saepiusque repetitas, pituitosa purgationes per alvum magis desiderat. Per magnum quoque auxilium est in venarum occipitalium incisione, quam proposuit vir cum arte anatomica tum doctrina medica insignis, Jo. Bapt. Morgagnius (c); quam & ipse quidem in maxime periclitantibus magnopere juvasse non semel expertus sum. Etenim cum venae istae intra cranium cum laterali utroque sinu communicent; illis incisis, pars sanguinis, quem in hos convecturae erant, avertitur, & reliqua copia nonnihil minuitur, motusque per eosdem facilius peragitur. Idcirco cucurbitulae sub ipso occipitio, & ad latera colli admotae,

(a) Vid. ipsius observationes anatomicas ex cadaveribus eorum, quos sustulit apoplexia. Amstelaedami, MDCCXXXI.

(b) In libro De morbis capitis.

(c) Adversar. anatom. vi. animad. 83. & 84.

tae, cute scalpello profundis satis vulnusculis concisa, quo sanguis ubertim effluat, nunquam non ex usu sunt.

NEQUE alia ratione juvat, si quid juvare poterit, a nonnullis laudata, arteriarum in temporibus incisio; per hanc enim copia sanguinis in cranium derivandi minuitur. Et Galenus quidem tuto satis, & sine magno incommodo, arteriam etiam in ipso brachio incisam se vidisse testatur (*a*). At tantilla sane est portio, quae hac via demitur, ut magnum aliud commodum inde sperari nequeat. Satius itaque fuerit, ut in *cephalaea* praecipit *Aretaeus*, *geminas pone aures arterias secare* (*b*); ex his enim major, quam ex eis in temporibus, profluet sanguinis in caput ruentis copia.

VESICATORIA etiam capiti, & membris omnibus, imponi debent. Cathartica vero, tam quae per os afflumi, quam per alumum infundi solent (his enim semper opus est) acria, magnaque vi stimulandi ac pungendi intestina praedita, esse oportet, sensus enim fibrarum in nervis fere deperditur.

Lethargus & *Carus* sunt leviores Apoplexiae species.

(*a*) *Method. Medend. Lib. v. cap. 7.*

(*b*) *De morb. diuturn. curat. Lib. I. cap. 2.*

S E C T I O I I .

Paralysis.

DESINIT ut plurimum, nisi mors intercedat, apoplexia in nervorum resolutionem, quae morbi est solutio. Haec autem plerumque alterum tantum corporis latus occupat. Quod vero observavit idem ille Morgagnius, in opposita semper cerebri parte se, sectis apoplecticorum cadaveribus, perspexisse morbi causam; id ipse memini Me olim in nosocomio non semel comperisse.

NULLUS jam sanguinis missionibus locus est, nec catharticis vehementioribus; calidis & modice moventibus, quale est *tinctura sacra*, alvum interdum laxare satis erit. Cumque morbus jam longus sit, pro vesicatoriis, in locis idoneis, praesertim sub occipitio, & supra scapulas, vel ferramentis carentibus, vel medicamentis causticis, ulcera, quae *fonticulos* vocant, excitare oportet. Hippocrates inustiones minimum octo fieri praecepit, assignatis singulis suis loculis (*a*).

Remediis aromaticis, quae fibras roborent, adjuncto *chalybe*, res praecipue agenda est. Quinetiam prodest torpensis aut resoluti membra summam cutem exasperare. Id optime

praे-

(*a*) *De morbis*, Lib. II. sect. 12.

praefstat *unguentum viride*, cui adjectus fuerit *spiritus vitrioli fortis* ea proportione, ut septima vel octava spiritus pars sit, quod ubi corpus rubore cooperit, removendum est, ejusque loco *unguentum sambucinum* illinendum. Multum juvat in aetate non nimis provectis frigida lavatio, calidae vero immerſiones omnibus paralyticis nocent. Et ipſe quidem novi nonnullos, qui, cum vana Medicorum ſpe delusi ad thermas noſtras *Bathonienſes* profecti eſſent, ex aqua calida egressi, mox iterum apoplexia correpti funt, ac perierunt.

OBLATA igitur hac occaſione, ſuper hisce aquis quaedam Mihi comperta in medium proferam. Virtus illarum praecipua in minerali quodam calore, quo ventriculum & intestina fovent, Mihi confiſtare videtur; idcirco hiſ maxime opitulantur, qui viño, aut id genus liquoribus, cum appetitum ad cibos, tum facultatem illos concoquendi perdiſerunt, unde quam plurima provenire mala novimus. Alieniſſimae autem ſunt omnibus, quibus partes internae, cerebrum, pulmo, jecur aut renes, ultra modum incaleſcunt. Et ob eandem cauſam, tametí hae vi ſua jucunda ſtomacho laboranti opem praebeant: ſaepius tamen, ſi diu in illarum uſu perſiſtatur, huic ipſi viſceri damnum afferunt; calore illo, qui prium profuit, immodica perſeverantia, ad nimiam fibrarum resolutionem, in detrimentum ceden- te. Id quod non raro vidi iis praeſertim con-tingere, qui morbis conſlictabantur a vitio fluidi,

fluidi, quod nervos irrigat, originem trahentibus.

MORBUS hic nunquam acutus, saepe longus, in senibus fere insanibilis est. Miseram autem vitam plerumque trahit, qui illo afficitur: vis enim animi cum memoria deperditur; & luctuosum spectaculum, non jam homo, sed animal semimortuum, contremet & vacillat.

Chorea Sancti Viti.

MORBUM hunc, facie pariter ac nomine ridiculum, paralyticam affectionem esse, & frequenti lavatione frigida, medicamentisque ex chalybe paratis, dispelli jam olim monui (*a*).

*S E C T I O I I I .**Epilepsia & Vertigo.*

DE utroque hoc morbo legi velim ea, quae in alio libro tam ad recursus, quam ad remedia, spectantia fusius proposui (*b*).

MONITUM autem unum & alterum ibi dictis hic adjungere libet. Prius est, saepissime ventriculi magis, quam capitis, morbum esse vertiginem; aut faltem utramque partem simul

(*a*) *De imperio solis ac lunae, edit. alter. pag. 86.*


(*b*) *Ibidem, pag. 34. & seqq. 81 & seqq.*

mul laborare, gravato nempe biliosa & viscida colluvie intestino. Ubi id contingit, frustra sunt remedia quaecunque, nisi prius *vino ipecacuanhae*, aut alio quodam vomitiones proritante medicamento, onere suo levatum fuerit viscus. Postea vero appetitum simul & ciborum concoctionem optime juvabit *elixir vitrioli Mynsichti*, ex aqua fontana, hora una vel altera ante & post prandium, assumptum.

ALTERUM, quod addi velim, hoc est, *corticem scilicet Peruvianum*, coniuncto remedia morbo accommodato, saepe multum prodesse, in primis si hoc modo assumatur: *R. corticis Peruvian. ʒi. rad. valerian. sylv. pulv. ʒi. syr. e cort. aurant. q. f. f. electuarium.* Hujus, praemissis debitis exinanitionibus, devoret aeger bolum pondo ʒj. mane & vesperi, tribus mensibus continuis; deinde repeatat triduo, vel quatriduo, ante noyam plenamque lunam,

Tetanus.

RARUS iste affectus est, musculorum scilicet universi corporis, praeter naturam facta, validissima convulsio. *Iis* igitur cedit remediis, quae in Epilepsia proficiunt.



C A.

C A P U T III.

De insania.

NULLUS morbus insania magis pertimente-
scendus est. Quid enim miserius, quam
hominem ratione & intelligentia privari ; in
alios more ferarum saevire ; compedibus, vin-
culis, & plagis, ne vel sibi vel alteri noceat,
coercenti : aut, mutata rerum facie, demissio
animo moestum esse ; vanis imaginibus assidue
terreri ; spectra sibi adstantia fingere ; & per-
acta continua anxietatibus hac vita, poenas
aeternas (quod interdum fit) post mortem se-
cuturas horrere ? Quibus omnibus illud acce-
dit miserandum, quod difficillime curationem
accipit haec calamitas. Caeterum quo dilu-
cidius intelligentur ea, quae de hoc morbo ex-
perientia doctus exponenda habeo, pauca
quaedam de illius natura praefari libet.

FREQUENTISSIMA hujus mali causa est
nimia animi intentio, diuque una aliqua in re,
etiam cum jucunda sit, defixa cogitatio. Haec
enim, cum sola est, mentem perturbare po-
test, ut in literarum studiosis videmus ; ubi
vero animi motus accesserint, ut spes, metus,
ira, & alii id genus affectus, gravior multo
fit morbus : & pro causae natura, maxime ve-
ro prout ingenium ejus, qui laborat, ad has
C 5 aut

aut illas affectiones proclivius erit, dementia vel cum tristitia, vel cum furore, hominem occupat. Attamen nihil ita mentem pervertit, ut amor & religio: religionem dico falsam & inanem. In amore infunt spes, timor, suspiciones, & interdum ab his ira ac odium. Religio ista vanis terroribus, & suppliciorum preferendorum imaginibus, animum implet ac distrahit. Hinc evenit, ut amantes magis cum furore, religiosi cum moerore, insaniant.

AT commutantur tamen, & varie commiscentur, hae affectiones.

MAXIME autem insanit homo, ubi contrariis motionibus mens simul agitatur; ut cum ira & metus eodem tempore occupant, aut gaudio & tristitia perturbatur animus; diverse enim trahitur isto modo affectus, & misere laceratus se dedit.

SCIMUS id omnes, ita comparatam esse fabricam nostram, ut, quaecunque rerum species, quae prodeesse aut nocere nobis possint, menti se offerunt, subitas affectiones, iisque motiones in corpore consentaneas, necessario concident. Ita laetitia, moeror, spes, metus, cupiditas, ira, etiam nobis invitis, sanguinem & humores agitando corpus commutant & impellunt. Eodem redit, verae an fictae sint istae imagines, modo mens in eas intenta & infixa, iisdem diu fuerit addicta; quin & fortius percillere & irritare animum imaginaria, quam vera mala, saepissime comperimus. Ita quam falso sibi instantem quis fingit, illa
quae

quae revera affligit, adeo intolerabilius est paupertas, ut non raro ad mortem sibi nefarie consciscendam meticulosos adducat. Usque adeo miserii patet nostra omnis vita!

INSTRUMENTUM harum omnium motuum, tam mentis quam corporis, est fluidum illud subtilissimum nervis infusum, quod *spiritus animales* vulgo appellant. De hujus autem natura, nos jam olim conjecturam fecimus (a), ostendimusque ipsum interdum mutationes suas subire; cuius quidem rei documentum insigne dat hic, de quo nunc agitur, morbus.

INSANIAE duo genera describunt auctores, quorum utrumque est constans error mentis sine magna febre; alterum cum furore & audacia, alterum cum tristitia & metu; quorum illud *maniam*, hoc *melandcholiam* appellant. Haec autem gradu tantum, ut plurimum, differunt. Melancholia enim nunc citius, nunc tardius, in *Maniam* saepissime transit; &, remittente furore, gravior fere redit tristitia: hinc furibundi omnes sunt timidi & pusillanimes. Id quod in curationibus observasse permagni usus est. Ipsos autem *spiritus animales* diversas, & a natura sua alienas, proprietates in omni dementia, ut dixi, acquirere facile demonstratur. Attamen illud maxime mirandum est in hac aegritudine, quod non tantum ea laborantes aliis morbis immunes saepe conservat; sed & ubi quemquam occupat illis implicitum, ita quasi

to-

(a) Vid. *Introduction to the Essays on poisons*, edit. 3.

totum hominem sibi assumit & vindicat, ut eos non raro depellat ac profliget. Neque id in levibus solum valetudinibus contingit; sed etiam in gravioribus, & quae magnum alias periculum afferre possent: ut dicere hic liceat,

Aliquisque malo fuit usus illo.

Duo, quae hanc rem confirmant, insignia exempla Me vidisse memini. Virginem curabam annos natam circiter viginti, mente satis alacrem, corpore nimis imbecillam; quae ex malo habitu diu protracto in hydropem abdominis inciderat, marcescentibus interim membris. Cum, remediis quibuscumque frustra tentatis, spes nulla salutis affulgeret; supervenit repente, nescio qua de causa, insania cum maximis anxietatibus & vanissimis animi terroribus; se enim in judicium vocandam esse ob crimen laesae majestatis, & capite plectendam imaginabatur. Interea corpus vires acquirere, & ventris tumor subsideare cernebatur; ita ut brevi valentiorem medicinam, utriusque morbo convenientem, ferre posse videretur. Idcirco vomitu, purgatione per alvum, & medicamentis, tum quae urinam carent, tum quae stomachum juvant, ita res agebatur, ut post aliquot menses mens sana fano cum corpore rediret.

ALTER, quem dixi, morbus, a priore quodam modo diversus, virginem etiam afflixit; quae annum agens vicesimum & octavum spu-

to

to sanguinis, ex pulmone cum tussi perpetuo fere prorumpentis, vexabatur. Itaque missus est e brachio copia satis larga sanguis, altero quoque die, ad quinque aut sex vices. Minuebatur hinc, non tamen cessabat malum; & transactis duobus mensibus, supervenit febris hectica, siti, calore, & nocturnis sudoribus comitata; cum summa macie, viscidaeque ac tenacis materiae frequenti exscretione, quae ex faucium & pulmonis glandulis ferrebat, intermixtis hic illic puris flavi portiunculis. Instabat jam vera phthisis, & mors prae foribus adesse videbatur. Aegra igitur de animae salute sollicita esse coepit. Praesto erant sacerdotes, qui cum viam ad caelum munire deberent, asperam contra & difficilem illam monstrabant, cum precibus, jejuniis, animique angoribus calcandam; quasi nimirum vitae futurae felicitas infelicitatibus & aerumnis praesentis vitae tota esset redimenda. Quid tandem fit? Misellam, sacris terroribus victimam, brevi invasit religiosa dementia; nocte dieque oculis obversabantur daemonum species, flammea sulphureae, & poenarum apud inferos aeternarum horrendae imagines. Ab hoc autem tempore evanescere indies coepерunt, quae morbus antecedens secum attulerat, incommoda; decrescere calor febrilis, sputum siti, minui sudores, & habitus totus ita in meliorem verti, ut, quo minus mens corpori regendo par erat, eo magis vires officiis vitae sufficere viderentur. At paucos post dies

dies prorsus melancholica evasit. Morbus igitur exinanitionibus, prout vires ferre poterant, & idoneis remediis ita oppugnabatur, ut sanitatis integrae spes aliqua ostenderetur. At, proh dolor! postquam tres menses fere sunt elapsi, febre hectica cum pulmonis exulceratione reversa, tabe confecta perii meliori fato, ut visa est, digna puella.

TOTUS ergo in vi imaginandi consistit hic morbus. Lactifcae enim aut horrificae species menti repraesentantur, quas more naturae consueto motiones corporis, quae cum illis convenient & quasi cohaerent, necessitate quadam consequentur. Hinc bruta etiam animantia interdum insaniunt, quippe quae (quicquid contra insani quidam dicant philosophi) ratione aliqua naturae sua convenienti utuntur.

PERMAGNAM fane esse hujus facultatis potentiam quotidie experimur. Quid enim mirabilius, quam hominem in canem aut lupum converti, firmis adhuc viribus mortuum & cum mortuis versari, caput vitreum aut fictile gerere, se existimare? Haec tamen, & sexcenta similia, interdum evenire cernimus. Illud autem magis adhuc mirum, & pene incredibile, quod gravidis saepe contingit. Notum est enim illas, cum forte malacia tentantur, non raro fructus aut cibi alicujus, quem frustra appetiverant, notis corpus foetus, quem in utero gestant, deformare, per omnem vitam aliquando duraturis. Mirifica quidem haec sunt;

sunt; at prodigii prorsus simile est, quod ex narratione viri in mentis humanae facultatibus investigandis perspicacissimi, Malebranchii, adjungam (a). Erat in nosocomio *Parisiensi* incurabilium dicto juvenis, ab infantia mentis inops, cuius brachia & crura iis in locis disrupta videbantur, quibus, in illa regione morte damnatis membra ista ferreo vecte contundere mos est. Misellus iste per annos vinti vitam protraxit, concurrentibus ad eum visendum Philosophis & Medicis, qui manibus suis ossium, quae dehiscebant, cava & hiatus contrectabant. Non diu autem latuit infelicitis hujus eventus causa; mox enim compertum fuit matrem, dum puerum illum in utero ferret, terribili spectaculo interfuisse, cum sons quidam eo, quod dixi, mortis genere plecteretur. Perterfactam fuisse, facile est credere; quibus autem modis vis ipsius imaginandi damnum tale foetui impertire posset, scire difficile. Ingeniose, ut solet, conjecturas suas super hac re persequitur Malebranchius. Sensum quandam internum esse dicit imaginandi facultatem, quae omnis spiritum animalium ope peragit; foetum vero corporis materni partem censeri debere, ita ut, quicquid patitur pars aliqua matris, idem occulta quadam communicatione in partem foetus congruentem transeat. Perculta itaque horrendo viso praegnans dolorem, fortassis & fibra-

(a) Vid. *Recherche de la verité*. Tom. I. Liv. II. chap. 7.

fibrarum distractionem, iisdem in membris pertulit, quae fracta spectavit in fonte; firmiora vero ipsius ossa resistere poterant illi injuriae, cum eadem in tenerimo infante vix dum formata facile disrumpabantur, nunquam denuo conjungenda. Attamen sive hac, sive alia quacunque via, res acciderit, imaginandi virtutem mirifice corpus afficere luculenter demonstrat.

H A U D immerito quoque id mirum videatur, quod immodicum gaudium nimis diu protractum, pariter cum anxietate & moerore, mentem pervertat. Hoc, ut videtur, eam ob causam fit, quod jucundae imagines, quae menti perpetim obversantur, ad alias res eam attendere non sinunt; unde cum mille modis a speciebus, quae necessario assidue occurront, interpelletur & avocetur, turbae oriuntur, quae animum transversum agunt & pefundant. His accedit solicitude & metus, ne felicem hunc rerum statum improvisa aliqua fortunae adversae clades evertat. Audivi olim Haleum, in nosocomio mente captorum *Londinenſi* medicum experientissimum, haud semel dicentem, anno MDCCXX civum nostrorum fortunis adeo infausto (quo societas ad commercium per mare *Australē* promovendum instituta artibus dolosis ad lucrum faciendum viam invenit) se multo plures curae suae commissos tractasse; quos ad immensas opes evexerat fortunae favor, quam quos iniqua fors ad miseriam & pauperiem redegerat. Usque adeo

adeo mentem corrumpit insatiabilis avaritia,
& auri sacra fames.

I STUD autem est adhuc mirabilius, quod insani, in primis melancholici, magnopere interdum sibi in animum inducunt, ut ea faciant, quae maximum dolorem (quo nihil naturae nostrae magis inimicum est) corpori adferunt. Cibos fame fere enecti, perinde ac si venenum offerretur, adversantur; distentam etiam vesicam exonerare nolunt, summo cum cruciatu per integrum diem, vel diutius, urinam suppressentes. Istiusmodi in casibus mens a sensibus quodammodo avocari videtur, dum interim non potest non sentiri dolor; miseratum animum ad ea attendere, quae intus in corpore geruntur, obstinate renuit. Et verisimile est vanas quasdam imagines illum accepisse; quae dolorem, quo cruciatur, perferre cogant: quales sunt, ni id faciat, se graviora passurum; hunc vero jussu divino in poenam peccatorum sibi immitti, aut daemonis inevitabili potentia, aut beneficio quodam effici; & id genus innumerae. Nihil enim est tam incredibiliter ineptum, atque a ratione alienum, quin in laesam imaginationem cadere possit.

V ERUMTAMEN, ut ad curam tanti hu-
jusce mali tandem deveniam, illud ante omnia Medicum considerare oportet, quas exinanitiones ferre possit aeger: siquidem omnibus ferre modis demenda est materia, modo vires id finant; sin illae sint imbecilles, eis idoneis & medicamentis primum confirmandae erunt, usque dum pati medicinam tu-

D to

to possint. Nam haud raro evenit, ut, nimum exhaustis humoribus, furori succedat insanibilis animi dejectio & melancholia; qua opreslus aeger in perpetuis anxietatibus & moestitia vitam transfigit, heu! nimis ut plurimum longam. Diutissime enim magna ex parte vivunt insani. Modi autem praecipui, qui demendaे hujus morbi materiae convenient, sunt sanguinis missio, vomitus, alvi purgationes, & urinæ fluxus. De hisce igitur singulis aliquid proponam.

SANGUIS commodissime detrahitur aut ex brachio, aut ex vena jugulari, interdum etiam per cucurbitulas occipitio inciso admotas; nimurum siquando capitis dolor urgeat, aut ultra exhaustiri per venas sanguinem vires minime patientur.

VOMITUS optime excitatur *vino ipecacoan-hae* in infirmioribus; in robustioribus vero *tinctura veratri*, aut *vino antimoniali*.

ALVI dejectiones moliri commodissimum est *belleboro nigro*; aut *infuso senae*, ad juncta *tinctura jalapii*; aut denique *aloë*, si forte mensium in foeminis, vel haemorrhoidum in viris, suppressio sanguinis per naturales hasce vias profusionem desideret. Has vero omnes **exinanitiones**, tum quae per vomitum, tum quae per dejectiones fiunt, aegrum frequenter repetere oportet; ita ut per vices aliae aliis interponantur. Neque illud addere alienum est, valentiora plerumque medicamenta requirere hunc morbum, cum nervi haud facile hic irritentur.

MA

MAJORIS autem momenti est, quam vulgo existimatur, per renes depletio, praesertim cum furor coniunctum habet febrilem ardorem. Melancholicis enim parum prodest, quos ut plurimum nimis largum urinae profluvium sollicitat. Diuretica autem hic aptissima sunt *salia ex lixiviis herbarum crematarum* parata, & *sal diureticus* dictus; quorum alterutrum per vices exhibere licebit, idque portio ne satis larga.

CUM illis, quae morbum minuant, adnumeranda forsitan videbuntur emplastra vesicatoria capiti admota: quae tamen nimia irritatione nocere potius, quam juvare, saepe deprehendi. Magis conveniet Veterum more, caput ad cutem tondere; deinde *aceto*, in quo *rofar*. *flores*, aut *hederae terrestris folia* infusa sint, frequenter fovere & madefacere; item *setaceum*, quod *barbara* voce Chirurgi appellant, sub occipite apponere. Illud autem hoc modo efficitur: *Funiculus* ex filis sat multis sericeis acus foramini inditur; dein, facta perforatione, subter cutem transversus conjicitur, sic ut spatium duorum fere digitorum comprehendat; tum per aliud, cuspide acus factum, vulnusculum educitur. Illinendus autem est unguento aliquo digestivo, & quotidie moyendus, quo ex ulcere pus exeat. Nihilominus tamen in longo morbo vesicatoria interdum proficiunt.

INTEREA dum hisce modis expelluntur noxiū humores, iis etiam remediis pugnan-

D 2 dum

dum est, quae corpus immutant. Diaeta tenuis esse debet, ex jusculis maxime *farinaceis*, aut *hordei*; & cibis ex media materia. Alendum enim corpus est, ne vires deficiant, & detractionibus necessariis feren-
dis impares evadant.

MEDICAMENTA plurima apud auctores, cum veteres tum recentiores, commendan-
tur; quorum alia maniacis, alia melancholicis
conveniunt: utraque autem eo collineant, ut
bilem corrigant; quae acris primum, deinde
viscida, & picis instar atra fit. Quin & san-
guinis ipsius habitus in hoc morbo crassus est,
& tenax, nigroque colore; unde incisa cada-
vera cerebrum siccum, & tantum non friabi-
le, sanguinisque canales atro ac lento cruento
distentos, ostendunt. Illud autem animadver-
tere ex usu erit, pleraque, quae ad humorum
vitium emendandum apta sunt, medicamina
vi aliqua exilissimos glandularum meatus ape-
riendi, & subtilissimos liquores e corpore pro-
pellendi pollere. Hujus generis sunt gummi
graveolenta, in primis *asa foetida*, *myrrha*,
castoreum Russicum, & *camphora*; quam vi
etiam anodyna pollere, & certius tutiusque,
quam ipsum *opium*, somnum arcessere, non
nulli auctores experti affirmant. Melancholi-
cis etiam convenientissima sunt quaecunque e
ferro parata. Plurimum denique juvat, in fu-
roribus praesertim, aegrum balneo frigido fre-
quenter immergere. *Capiti* enim, ut monet
Celsus,

Celsus, nihil aequa prodest, atque aqua frigida (a).

RESTAT adhuc, ut quomodo continendi sint insani proponam, quo nihil ad sanitatem plus confert. Et alia quidem ratione in maniacis, alia in melancholicis, opus est. Illorum reprimenda audacia; horum spes excitanda est, & erigendus animus. Neque tamen illos, qui violentius se gerunt, asperioribus onerare coercitionibus, & verberibus multare, necesse est, cum satis sit vincire; meticulosi enim sunt, ut jam dixi, omnes, & cum per tempus aliquod superatos se fenserint, manus facile dant in posterum, neque vel sibi aliis vim inferre audent.

DIFFICILIOR res est cum iis, qui aut cum nimia tristitia, aut nimia hilaritate desipiunt; quorum animis pro cuiusque natura Medicum se accommodare necesse est. Aliorum igitur risus intempestivus objurgatione & minis prohibendus est; aliorum tristes cogitationes discutiendae, ad quod symphoniae & ludi, quibus olim delectabantur; multum saepe valent. Et musica quidem quomodo corporis pariter ac animum afficiendo juvet, jam olim explicui (b).

ILLUD autem perpetuo servandum est, ut imaginibus, quae diu occuparunt, aliae contra-

(a) *Lib. I. cap. 6.*

(b) *Mechanical account of poisons, Essay III.* Videtiam, quae huc facientia dixit *Aretaeus, De curat. auctor. Lib. I.*


trariae menti adferantur, quo novis cogitationibus paulatim se affuescat. Ut enim in corpore, morbo aut exercitiis fracto, imperanda est quies & laboris intermissio: sic animum a vanis, quas accepit, speciebus omnibus modis abduci oportet. Id autem consequemur, si ad ea, quae diversis motionibus exercent, convertamus. Idcirco in falsis timoribus, qui longum inhaeserunt, veris periculis terrefacere, & pavorem incutere, nonnunquam prodest. Hi autem veri terrores falsorum istorum natura dissimiles esse debent, ut mentem diverso modo exagitent. Mens enim quiescere nescit, curis vero & sollicitudine vacua esse potest, & mutatio idearum pro oblectamento & studiorum intermissione est habenda; pariter ac membrorum musculi, uno aliquo labore fatigati, ad alias actiones conversi refocillantur.

CORPORIS exercitationes nunquam negligendae sunt. Ambulare; equo vehi; pila, globis, ludisve similibus uti; natare; quin & terra marique peregrinari, multum juvat: hisce enim tum fabricae universae robur confirmatur, tum assidua rerum objectarum permutatione mens ad se rediens sapere discit.

UNICAM tantum animadversionem hactenus dictis adjiciam. Anodyna medicamenta ad somnum arcessendum, rarissime in hoc morbo juvant. Nihilominus autem in casibus nonnullis; ut in magnis animi terroribus, aut ubi per longam sollicitudinem, vel tristitiam, pervigilio

gilio fatigatus est aeger; illa experiri non alienum est. Neque tamen diu in his persistendum; non raro enim, etiam cum somnum inducant, expurgiscitur laborans, terrificis imaginibus gravius quam antea tentatus.

FINEM dicendi faciam, postquam monuerro, nullo in morbo majorem de iterato in aegritudinem lapsu esse metum: quo circa, quaeunque proposuimus auxilia, sive ad medicinam, sive ad diaetam, & vivendi morem pertinent; ea omnia, etiam cum iam convalescerit aeger, ad satis longum tempus per intervalla in usum revocari debent.



C A P U T IV.

De angina.

ANGINAE varias species diligenter exposuerunt auctores medici; at tres tamen, quae sunt omnium acutissimae & maxime perniciose, non satis pro morbi natura dilucide explanarunt. Harum primam *aquaſam*, alteram *tonſillarum gangraenam*, tertiam *faucium strangulationem* appellare licet.

In prima igitur oris, palati, & vicinarum partium glandulae distenduntur & tumefiunt. In altera tonſillas occupat inflammatio sine perfecta suppuratione; illae tument, & indureſcant; illico fit gangraena, quae, nisi citissime fuccurratur, est lethalis. In tertia, nervis omnibus convulsione distentis, aeger subito concidit mortuus. Tertiam hanc speciem ipſe ſemel vidi; & licet bis sex horarum ſpatio detraectus fuerat largiſſime ſanguis, nihil profuit tanta exinanitio. Incisae autem post mortem fauces ne minimam quidem tumoris, vel inflammationis, in glandulis aut musculis notam ostendebant; ſanguine vero crassiori turgidae arteriae, venaeque omnes, ubique prominebant. Morbum hunc, etsi rarus sit, deſcripsit Hippocrates. *Ex anginis*, inquit, *graviſſi-*

vissimae sunt, & celerrime interimunt, quae neque in faucibus, neque in cervice, quidquam conspicuum faciunt; plurimum vero doloris & orthopnoeae inducunt (a). Praecepis autem in omnibus hisce malis est periculum, cui non uno modo occurrere oportet.

M E M I N I, elapsis jam aliquot annis, apud Wallenses, in locis praesertim mari vicinis, in febris popularis modum faevisse aquosam istam luem, multosque intra biduum aut triduum ea correptos periisse. Medico cuidam illic degenti rogatus consilium dedi, ut, misso quam primum copia satis larga sanguine, & laxata vel clystere, vel si id fieri posset, leni potionē alvo, emplastra vesicatoria sub mento & ad latera colli admoveret; sin autem per haec parum proficeretur, ut in palato circa uvam, venasque sub lingua, plagis satis altis vulnera infligeret, quibus morbus erumperet. Interim febris causa ter die quaterve assumendum fuasi pulverem, ex pulvere contrayervae composito, & nitro purissimo, pari portione confectum. Illa cura quam plurimis saluti fuit.

I N tonsillarum gangraena, detracto primum sanguine & lotionibus ducta alvo, unicum remedium est, glandulas hasce tribus quatuorve in locis vulneribus satis profundis scalpello incidere, quae melle rosaceo, adjecta mellis Aegyptia-

(a) In Prognostic.

gyptiaci aliqua portione, sunt curanda; interim tamen os faucesque *bordei* & *ficuum decocto* colluere oportet. Haec autem in principio morbi fieri convenient; post biduum enim aut triduum ad gulam serpit malum, & exitiale est. Vidi nonnullos hac medendi via salvos evasisse; alios vero, in quibus ea neglecta afero tentata fuerat, perisse: cum Medici interim adstantes, quoniam calor febrilis immunitus videbatur, nihil periculi subesse, & rem in vado esse, existimarent; qui animadvertisse certe debuerant, pulsus aegri vacillantem, summam inquietudinem, & sudores frigidos se invicem excipientes, instantis fati praenuntios esse.

MORBUS iste pueros praecipue infestat, cuius descriptionem accuratissime, ut omnia, tradidit Aretaeus (*a*); quam commentario luculento illustravit doctissimus Severinus, παιδεύτην λοιμώδην vocans, atque hanc ipsam, quam proposui, medicinam commendans (*b*): quin & eandem olim exsecutus est Latinus Hippocrates, Celsus (*c*).

STRANGULATIO faucium, quam tertiam anginae perniciose speciem dixi, si praevideri possit, depletionibus omnis generis praecaveri debet;

(*a*) *De causis & signis morborum acutorum*, Lib. I. cap. 2.

(*b*) *Diatriba De pestilente ac praefocante pueris abscessu, Operi De recondita abscessuum natura adjuncta*. Francofurti, MDCLIII.

(*c*) *Lib. vi. cap. 10.*

bet; sanguinis scilicet detractionibus, purgationibus, emplastris vesicatoriis, fonticulis, medicamentisque urinam moventibus. Neque etiam inutilis est abstinentia, moderatio nimirum in cibo & potu.



C A-

C A P U T V.

*De morbis pectoris.**De asthmate.*

DIFFICULTATEM spirandi plurimae, eaeque inter se multum diversae, causae efficiunt. Quidquid enim facit, ut circumfusus aër solito minus prompte in pulmonis intima penetret, morbum hunc concitat. Ad respirationem autem in primis necessarium est, ut thorax dilatetur; quod septi transversi, muscularum intercostalium, & illorum, qui abdomini incumbunt, motionibus peragitur. Juxta illud, opus est aërem in asperam arteriam recipi; cum hujus igitur meatus tumore, vel humoribus viscidioribus, sunt interclusi, spiritus aegre trahitur. Deinde ipsius spirabilis elementi ratio hic habenda est; si enim gravius solito aut levius sit, visceris hujus vesiculos, in quas irruit, haud satis magna vi distendet. Sensus etiam ipsius pulmonis non raro hanc aegritudinem infert. Vidi nempe nonnullos, qui cum sub crasso urbis aethere fatis commode agerent, rus petentes ab aëre sereno, qui plerisque hoc incommodo laborantibus levamen efficit, in gravissimam dyspnoeam sunt delapsi. Respirationis denique impedimentis ad²

A 3

adnumerari debet sanguinis per pulmonem difficilis transitus. Id autem variis modis evenire posse manifestum est; tam scilicet ipsius cordis, quam sanguinis vitio. Cordis vis debilior sanguinem minus propellit; hic vero, si forte nimis crassus fuerit, aegrius movetur, & in canalibus suis quodammodo haerens aëris officium perturbat & moratur. Plures morbi hujusce causae enumerari possint; sed istae sunt praecipuae, quarum aliae aliis coniunctae ineluctabile interdum exitium procreant.

MULTIPLEX hoc malum multiplicem postulat medicinam; in omni autem ejus genere auxilium est, nisi aliquid prohibet, in sanguinis detractione. Neque id satis est: vomitus etiam, si pituita tenax pulmonem aut ventriculum gravat, apprime utilis est; & is quidem frequenter repetitus. Alvum laxam habere oportet, quae catharticis tamen veherentioribus minime sollicitanda est; satis plerumque ad hanc rem erit singulis noctibus pilulas dare, ex paribus portionibus *pilulae Rifi* & *gummi ammoniaci* confectas. Aegro cibis & potionibus flatulentis quibusve omnino interdicere oportet. Exercitationibus fere ad laßitudinem; & fricationibus, praecipue inferiorum partium, & per se ipsum, & per alios, usque ad sudorem, fere utendum est.

IN ipli accessionibus, quantum potest, spiritus angustiam levare oportet. Id faciunt, si humores viscidi sunt & tenaces, *oxymel scillitum aquae cinnamomi simplici* commixtum; *alium*

lum, sive crudum, sive conditum. Sin autem nervorum liquor in culpa est, gummi omnia graveolentia, in primis *lac ammoniaci* dictum convenient. At meminisse convenit, *anodyná* remedia, quae in priore casu pestifera sunt, in hoc plurimum proficere, *salibus* nempe, aut *spiritibus volatilibus* dictis, conjuncta; inter hujusmodi vero compositiones non alia praestantior est illa, quae nomine *elixiris paregorici* prostat.

SED enim cum nonnulli, vitio aliquo corporis aut humorum, levissimis quibusve de causis in hunc morbum incident; quibus modis eum praccavere oporteat, dicendum est. Ratio igitur cum temperamenti aegrotantis, tum ipsius morbi naturae, hic haberi debet. Illud, si calidum sit, refrigerantia & acida, mitiora tamen, postulat; inter quae praestant *acetum* & *oxymelita* quaecunque. Sin corporis constitutio sit frigidior, calefacentia nonnulla usui erunt; qualia sunt, *radix enulae campanae*, *zedariae*, *lagapenum*, *myrrha*, & consimilia. Vomitum in utroque subinde ciere convenit: alvumque lenibus catharticis, quae non nimis sollicitent, quale est *sal Glauberi* dictum, subducere. Aqua pro potu commodissima est, adjecto vini paululo.

QUONIAM autem in omni hoc morbo sanguis plus minus effervescit, huic excandescientiae nobili illo remedio *cortice Peruviano*, iis praesertim temporibus assumpto, quibus recurrere soleat difficultas respirandi, occur-

rere

rere optimum erit. Et novi quidem illum, commisto *cinnabari antimonii*, nonnunquam insigniter profuisse.

POSTREMO id minime praetermitti debet, quod fonticuli, quos vocant, supra scapulas inusti suspiriosis quibuscumque sint auxilio. Et hos quidem non solum humores emitendo, sed & distensionem nervorum nimiam minuendo, tam in hoc, quam in aliis quibusdam morbis prodesse, fas est credere.

CAUTE tamen in his omnibus agere oportet. A nimis frequentibus sanguinis detractionibus hydropis metus est. Senibus nocet nimia aquae potio. Exercitationes vehementiores spiritum augustum faciunt. Magna denique acidorum copia fibrillas nervorum constringendo anhelitum difficultem reddit. Ita modus etiam in ipsa medicina servandus est.

DE hoc autem, simulque de aliis pectoris morbis, consuli velim Laurentium Bellini *De morbis capitum, pectoris, &c.*



C A P U T VI.

De morbis cordis.

COR, motuum omnium animalium instrumentum primarium, vitaeque nostrae quasi principium & sors, cum musculus sit, vel potius plurimum muscularum congeries; iisdem, quibus alii corporis musculi, patet in commodis.

AFFECTIO autem, qua frequentissime laborat, est *palpitatio*, unde per exiguum temporis spatium motus ejus interrupitur. Ex causis admodum variis haec ortum habet. Non nunquam enim resolutae fibrae haud fatis valido impetu sanguinem propellunt. Interdum polypus, in ventriculis aut auriculis haerens, vim ejus eludit. Alias evenit, ut spissior simul & copiosior fangus difficulter in canales suos feratur. Item aqua in pericardio abundante (quod raro tamen accidit) musculi hujus motus impediri potest. Concreta quoque lapidea illum turbant. Est etiam, ubi tendines in ductuum orificiis, in senibus praesertim, osseam duritiem acquisiverint; quo, amissa vi elastica, motui protrudenti nimis resistitur. Nec praeterire oportet, quod sanguinis etiam inopia morbum hunc facere possit. Hinc enim fit, ut spiritus animales minus;

nus, quam par est, in cerebro secernantur; unde prohibetur cordis contractio, pulsusque fit intermissio.

NON est autem alienum hic adnotare, affectionem hanc plerumque esse convulsionem; qua, cum cor sanguinem uno nisu non satis propellere potest, vim suam repetere debet: documento fane insigni, sicut ante exposui, motus etiam istos, qui non voluntarii dicuntur, ab animo nostro regi & mutari (a).

ILLUD denique praesagitionis loco adjungendum videtur; quod violenter infestans, & saepius recurrens, hoc malum in syncopen tandem, seu fatalem virium defectum (quam alteram cordis affectionem censent autores) plerumque definit.

TOT variis casibus medelam etiam variam accommodare oportet. Illud autem in universis tenendum est, nisi vires sint admodum imbecillae, sanguinem detrahi posse; quo, cum debilior sit ad propellendum vis cordis, minuatur liquoris propellantendi pondus. Et quidem non raro a plenitudine etiam oriri non tantum cordis palpitationem, sed & ipsam syncopen, animadvertisus; ita soliti cujusvis fluxus suppressioni, ut ex naribus aut haemorrhoidibus, frequenter succedit praeceps iste virium lapsus; unde ad praecavendum hoc malum utilissime certe erit sanguinis missio. Vix autem aliae quaevi exinanitiones ferri possunt.

(a) Vid. *Introductionem.*

E

funt. Resolutio fibrarum ea, quae in capite
de paralysi sunt exposita, desiderat. Craffior
sanguis, qui polypum generat, medicamen-
tis attenuantibus, qualia sunt spiritus volati-
les dicti, & gummi graveolentia, emendatur.
Vesicatoria autem, in primis si sopor urgeat,
deficiente animo, optime stimulant & languen-
tem excitant.



I

C A-

C A P U T VII.

De morbis ventriculi & intestinorum.

IN morbis ventriculi & intestinorum non minus ea, quae cavere, quam quae facere oportet, proponenda habeo. Et primo quidem, quanquam pituitam viscidam, quae stomachum gravat, vomitu interdum ejicere maxime necessarium sit; frequentibus tamen vomitionibus motum illum naturalem, quo alimenta deorsum pelluntur, invertere ciborum concoctionem plurimum perturbat & impedit.

APPETITUM ad cibos accidunt herbarum amararum infusiones, & ipsam saepe concoctionem adjuvant; at metus est, ne longus ilalarum usus fibras musculares nimis calefaciat. Quocirca acidis quibusdam, praesertim *elixire vitrioli Mysichti*, illas simul adstringere non raro convenientius est; ea tamen adhibita cautione, ut, dum adhuc tenax est, quae ventriculo inhaeret pituita, illis abstineatur. Frequentissimum enim stomachi malum est, quo resolvitur; idque certe fibrarum ejus constrictionem desiderat.

S E C T I O I.

Alvi fluxus.

V E N T R I S fluxus non difficulter coërcetur. De illo loquor, qui sine febre est; nam ubi haec adest, num morbum solvere poterit, deliberare oportet. Cum sola autem cita alvus exercet, satis plerumque erit assumpto semel aut bis *vino ipecacoanhae*, ventrem *rhabarbaro* aliquoties purgare; deinde aromaticis, adjuncta *creta*, aut *bolo Gallica*, intestina robore.

Dysenteria.

D I F F I C I L I O R res est, ubi dysenteria, aut torminibus, intestina excruciantur. Illa enim plerumque intus exulcerantur, & cruar manat; qui modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur, simulque carnosa quaedam descendunt; frequens quoque dejiciendi est cupiditas, dolorque in ano; exiguum interim emittitur, eoque tormentum intenditur; & cum ab inflammatione oriatur hoc malum, nunquam non adest febricula.

S E M P E R igitur, ut ad curationem veniam, primum sanguinem mittere expedit. Deinde vomitus utilissimus est, quem *vino ipecacoanhae*,

hae, non semel, sed ter quaterve, interposito
biduo vel triduo, elicere optimum erit.

INTER has exinanitiones, & etiam postea,
adhibenda sunt medicamenta, quae fluxum co-
hibeant, & simul membranulas exulceratas fa-
nent. Neque ullum remedium Mihi comper-
tum est illo praestantius, quod ex *confectione*
cardiaca, & *bolo Gallica*, adjuncto *extracto The-*
baico, componitur; ita nimirum, ut illorum
singulorum scrupulus unus, hujus granum u-
num, ter die adsumantur.

NEQUE inutiles sunt infusiones in alvum,
maxime ex jusculis pinguibus, addita *theria* &
Andromachi; aut saltem *eleuthario* & *scordio*; vel
ex decocto albo, adjecto amylo; vel loco illius
julepo & *creta*, adjunctis, ubi opus fuerit, *ex-*
tracti *Thebaici* granis duobus aut tribus.

ILLUD denique animadverte ex usu erit,
malum interdum corporis habitum efficere,
ut haec omnia parum proficiant. Illis in casi-
bus, non omissis caeteris, ea, quae humores
emendant, in usum vocare oportet; & qui-
dem *rhabarbarum*, adjuncta *mercurii sexies su-*
blinati exigua portione, iteratis vicibus dare
convenientissimum erit.

PRAETER haec incommoda, *vomica* etiam in-
terdum, sive suppuratione interna, in ventricu-
lo nascitur. Hoc quidem raro fit, non semel
tamen accidisse vidi; cum magnam profecto
sanguinis simul & purulentae materiae copiam
evomebat aeger. Terret sane iste casus, at
plerumque tamen non magnum periculum ad-
fert;

fert; iisque adsumptis, quae membranas exulceratas conglutinent, in primis balsamo *Locatelli*, redit sanitas.

S E C T I O I I .

De ileo.

A C U T I S S I M U S morbus est is, quem ἡλεῖ
dixerunt Graeci. Celsus *tenuioris intestini morbum* vocavit (*a*). Est autem vehemens intestini inflammatio, quae, nisi cito succurratur, brevi in gangraenam definit, & mors instat.

PROMPTISSIME igitur, & larga copia, sanguinem detrahere oportet, non semel, sed iterum, plerumque etiam tertio. Inde venter laxandus est. Id autem difficillime fit, quod acria nimis irritant, & vomitionibus rejiciuntur. Clysteribus itaque primum res agenda est, interpositis catharticis; quorum illi stimulantes, haec lenia esse debent, ita ut mutuam sibi invicem operam praestent. Anodynæ etiam necessaria sunt, sed cum purgantibus mixta. Commodissimum igitur erit dare *extraicti cathartici scrupulum unum*, adjuncto *extraicti Thebaici grano uno*; & post horas aliquot cochlearia duo *infusi senae*, adjecta *tincturae senae* quarta parte, singulis vel

al-

(a) *Lib. iv. cap. 13.*

alternis horis propinanda, usque dum dejectio-
num satis fuerit.

HIS si nihil proficiatur, *argentum vivum* bi-
bendum praebere opportunum erit, quod qui-
dem duplēm hic usum praestat; partim pon-
dere suo inversum intestinorum motum resti-
tuendo, partimque lubricitate excrements al-
vum opplentia emolliendo & deorsum propel-
lendo. Idecirco copia satis magna id haurien-
dum est, librae minimum pondo; quod repe-
tere etiam plerumque opus est. Neque diu
fane tardare hoc experimentum oportet; quo-
niā metus est, ne, quod non raro fit, in-
flammationi superveniat gangraena, qua cor-
ruptis intestini tunicis, in abdomen effundi-
tur ponderosum metallum.

NEQUE nihil denique juvant fomenta, in
primis panni lanei calefacti, & *spiritu vini* ma-
didi; aut etiam, ut praecepit Sydenhamus,
catus vivens nudo ventri indefinenter accumbens.
(a). Longe autem plus adjuvat balneo tepido
corpus totum immergere. Et si nondum dis-
cussus dolor sit, cucurbitulas circa umbilicum
desigere convenit, cum levibus incisionibus.

Eadem via morbum illum atrocem, quem
medici Galli *colicam Piçtonum*; nostrates in in-
sulis Americanis, ubi frequentissimus est, *the
dry belly ache*, appellant, curare oportet. Est
enim dolor cum febre, & inflammatione, mo-
lestissimaque alvi astrictione conjunctus.

(a) Vid. *Oper. p. 41. Lond. MDCCV.*

S E C T I O I I I .

De lumbricis.

NON raro lumbrici occupant alvum. Et horum quidem tria sunt genera, *teretes*, & *ascariides*, qui pueros; *latique*, omnium pessimi, qui adultos maxime infestant. De singulis eorum plurimi scripserunt auctores. *Laii* autem descriptionem, additis etiam iconibus, omnium accuratissime tradidit vir doctissimus, Daniel Clericus (a). Quum is igitur Medicorum quorundam de hoc animalculo, quod singulari natura praeditum videtur, errores redarguerit; quae sequuntur, ex illo excerpere libuit. Et primo quidem, hunc non unicum esse vermem; sed plurium vermiculorum catenam, ex illo genere, quod *cucurbitinos* vocant, continua serie aliorum aliis adnexorum, manifeste appetet. Hi autem, digitii latitudinem habentes, interdum singuli ac separati in intestinis jacent, & per alvum excernuntur. Totus denique vermis conjunctus unum caput fortit, idque satis acutum, rostro haud absimile; quo intestinis infixo, valde pertinaciter illic haeret, ore pro nutrimento chylum fugens.

HISCE

(a) *Historia naturalis & medica latorum lumbricorum.*
Genevae, MDCCXV.

HISCE a Clerico observatis quaedam a Me-
usu comperta adjungam; vidi enim, & sana-
vi, non semel hunc morbum. Et id quidem
mirum aequ & molestum est, quod utcun-
que medicamentorum vi vermiculorum isto-
rum aliquot foras sint ejecti; indies tamen re-
nascentur, reliquisque in corpore se adjun-
gunt, usque dum aduncum illud caput extur-
batum fuerit; & tum demum simul cum eo
totum animal per anum exit, multorum saepe
pedum longitudine. Neque mirum sane est
dolores inferre acutum illud rostrum; & ho-
minem, cum monstroso & voracissimo hospiti
alimentum assidue suppeditare debeat, maci-
lentum fieri & contabescere.

OMNIBUS igitur modis extirpanda est haec
vermium pernicioса progenies. Idque, si *te-*
retes sint, aut *ascarides*, facili negotio per-
agitur. *Argentum vivum* quacunque forma his
exitiale est; *rhabarbaro* igitur, adjuncta *mer-*
curii dulcis sexies sublimati exigua portione, al-
vum subinde purgare commodissimum erit.
Diebus interjectis, *Aethiops mineralis* mane &
vesperi assumptus relevet. Quin & ipsam a-
quam fontanam, si in aqua decoctum fuerit
hoc metallum, potui dare ex usu erit. Prodest
etiam aquam marinam bibere. Oleum deni-
que in alvum subter deditse juvat.

PROPRIAM autem curationem desiderat
lumbricus latus. Ego jam a multis annis hu-
jusmodi remedium efficacissimum esse usu
comperi. *Stannum rasum*, cum aequali por-

E 5 tione

tione coralli *rubri*, in pulverem subtilissimum teritur; hujus drachma una, cum *conservae summitatum absinthii maritimi* in bolum redacta, bis die devoranda est.

POSTREMO, quibuscunque medicamentis expugnati fuerint hi intestini hostes; iisdem identidem repetitis, ne reviviscant, cendum est.

NON alienum erit alium etiam vermem his, quos descripsimus, multum dissimilem, quippe qui non in intestinis, sed in membris, sedem occupat, miraeque naturae est, hic loci memorare. Illum dico, quem Arabes *venam Medinensem*, Graeci *δρακοντιον*, Latini *dracunculum*, nominarunt. Hunc primus descripsit Avicenna, adiecta curatione (a). Textum ejus Latine vertit Georgius Hieronymus Velschius, & commentarii loco justum volumen, varia eruditio refertum, conscripsit (b). Breviter autem summatimque praecipua, quae apud Avicennam occurrunt, exponam. Is igitur morbum hunc fieri dixit, cum in quibusdam corporis membris *pustula exoritur*, quae *intumescens deinde vesicam contrahit*; mox, ea perforata, prodit *rubri quidpiam ad nigredinem vergens*, neque cessat continuo protendi; interdum motum habet vermicularem sub cute, ac si is animalis motus, & vere vermis esset. Galenus autem hoc

(a) *Lib. iv. Canon. sect. iii. tract. ii. cap. 21. & 22.*

(b) *Augustae Vindelicorum, MDCLXXIV.*

hoc malum *ulcus* appellat, quod ad se nervum & propinqua parte delatum habet (a).

SED revera vermis est iste morbus, in *Aethiopia*, *Africa*, & *India* frequens. Est autem insectum aquaticum, quod acuto capite, & exili corpore, hominum membris, cruribus praesertim, inter lavandum se insinuat; & exiguum primo, membranas muscularum humidas depastum, majus fit & longius; mox rodendo cutim inflammationem cum tumore excitat, quo suppurante, caput exerit animalculum, duos saepe, aut tres, interdum & plures pedes longum.

CURANDI viam tum internis medicamentis, tum ope externa, proponit Avicenna. Suadet autem, ut aloë tribus diebus consequentiis quotidie unius drachmae pondere devoretur. Sin autem vermis hanc curam eludat, jamque prodierit; tunc convenit ei praeparare aliquid, cui adligetur, & supra quod blande ac paulatim ita convolvatur, ut absque disruptione ad finem usque exeat. Optimum est plumbi frustum, supra quod convolvitur, idque justi ad trahendum ponderis fiat; tum extrahatur leniter, ne abrumpatur; & quae sequuntur. Mihi olim in nosocomio hujusmodi casum intueri licuit, in Nauta quodam ab *Africa* reverso.

(a) *Definit. medic.*

C A

C A P U T VIII.

De hydrope.

HYDROPIA tres species nominant Medici, cum antiqui, tum recentiores: *leucophlegmatiam* sive *aria tæqua*, hoc est, *inter cutem*; *tympanitem*; & *ascitem*. Communis omnium est humoris nimia abundantia, qui collectus tumorem facit; aut in toto corpore, ut in *leucophlegmatia*: aut in ventre, qui modo ita intenditur, ut creber intus ex spiritus motu sonus fiat, sicut in *tympanite*; ubi etiam humoris aliqua portio, ex vapore forsan condensato genita, plerumque reperitur: modo ita repletur, ut motus aquae, moto corpore aut pulsato manu abdomen, facile sentiri possit, sicut in *ascite*.

SEDES *leucophlegmatiae* est in membrana ista, quam Anatomici recentiores *adiposam*, vel potius *reticularem* seu *cellulosam*, vocant; quae membranas corporis omnes & musculos interjacet.

TYMPANITES non est unius generis. Interdum vapor in cavo ventre conclusus abdomen prorsum pelit, quod pulsatum sonitum edit. Vapor autem is halitus est visceris alicujus corrupti vitio genitus & efflatus, ideoque emissus fem-

semper foetidissimus est. Istiusmodi casus rari sunt: vidi tamen in nosocomio Divi Thome insigne ejus exemplum. Senex erat, cui tanta cum duritie intumuit venter, ut perculsus tympani in modum resonaret; nec facces nec spiritus per alvum, propinatis licet valentissimis medicamentis catharticis, deorsum rebantur. Ex inciso post mortem abdomine prorupit cum sonitu halitus, qui tam gravi odo-re nares afficiebat, ut Chirurgus se aura vene-nata perculsum diceret. Mox foetoris hujus fons apparuit, intestinum nempe colon inflammatum, gangraena vitiatum, & ventriculo pa-riter corrupto adnatum. Nonnunquam autem sine putrefactione aura quaedam elastica in ab-domine genita, neque exitum inveniens, vi sua membranas circumvestientes antrorum pel-lit & tumefacit. Haec non in cavo ventre; sed in ipsis intestinis concluditur; quae ita di-stendit, ut vim suam resiliendi prorsus amit-tant, in immensum fere aucta illorum capacitate (a).

TERTIAM hydropis speciem *ascitem* esse dixi, quae tribus modis progignitur. Nunc enim inter tendines muscularum abdominis, qui transversales dicuntur, & peritonaeum aqua effunditur, & illos ab hoc disjungens inflationem efficit (b); nunc in medium tuni-carum

(a) Vid. *Mémoires de l'Academie Royale*, MDCCXIII.
pag. 235. & *Philosophical Transactions*, Num. 414.

(b) Vid. *Chefelen's Anatomy*, Book III. chap. 4.

carum peritonaei (duplex enim est haec membra) illapsus humor harum distensione larygum sibi receptaculum format; saepissime vero colluvies aquosa in ampio imo ventris spatio colligitur, & stagnat. Atque hanc sane in mortuorum cadaveribus limpidissimam interdum vidi, funiculis multis pellucidis, qui ex tenuibus vesiculis quasi concatenatis constabant, innatantibus; quae quidem disruptorum canalium, quibus lympha circumfertur, erant tunicae, quorum valvulae in partes eos disjunxerunt, & hydatides dictas formarunt.

NULLUS autem hydrops gravior est illo, qui in foeminis ovorum conceptacula occupat. Haec enim primum indurescunt; mox inflammantur, & corrumpuntur; liquore etiam ex innumeris, qui partes hasce perreptant, lymphae canaliculis erumpenti distenta, in magnam tandem molem excrescunt. Hinc rarissime cedit morbus remediis.

ET hisce praecipue modis aqua in ventre includitur, quorum omnium exempla non semel vidi; illud autem erat rarissimum, quod in nosocomio quondam fese obtulit. Vidua quaedam duorum & quadraginta annorum, quae nunquam pepererat, per annum circiter de doloribus dorsi cum difficultate urinae conquesta sensit sibi intumescere abdomen, breviique manifesta hydropis *ascitis* signa deprehendebantur; quocirca per ventrem emittebatur aqua, non semel, sed ter; humore vero post singulas paracentes cito iterum redundante, post duas vel tres hebdomas ab ultima

ultima emissione mortua est. Inciso cadavere, effluxit primum ex cavo, quod muscularum transversalium tendines a peritonaeo sejuncti confecerant, magna aquae copia, admistis multis hydatidibus largis & nondum disruptis. Dein, secto peritonaeo, crassiusculi & viscidi humoris librae septem aut octo sunt eductae, quibus glandulae multae corruptae immiscebantur. Mirabamur jam nulla se in conspectum dare intestina, quae frustra quaesivimus; donec crassa membrana corii instar dissecta, ventriculum & omnia intestina simul cum omento in angustum spatum coacta, & quasi occultata, tandem reperimus. Membrana haec erat pars interior peritonaei, quod duplex esse jam diximus; cuius pars exterior, quum corium, ut notavi, prope referret, facile prima facie ita nobis imposuit, ut totum esse peritonaeum putaremus. Tres igitur, quas memoravi, hydropes *ascitis* species simul in hoc corpore, utili fane accommodoque exemplo, oculis subjiciebantur.

PRAETER has omnes aquosas colluvies, alias etiam corporis sedes inundat non raro morbus humor. Cerebrum & testiculi lympha nimia replentur. Nusquam autem periculosius, quam in pectore, afflitgit aqua; quod illis plerumque contingit, qui diurna spiritus difficultate laborarunt; ea in primis, quae a polypis in sanguinis canalibus haerentibus nascitur, dum tenuis liquor e sanguine expressus per pulmonum membranam transfudat. Hunc non sé-
mel

mel observavi ad librae unius aut duarum mem-
suram, nunc in altero tantum, nunc in utro-
que thoracis latere, interdum etiam in ipso me-
diaſtino collectum. Etenim humor iſte indies
auctus, tandem pulmonum impediendo motum
ſpiritum intercludit, & aeger improvifo mori-
tur. Nonnunquam etiam in illis, qui diutur-
na cordis palpitatione cum ſpirandi difficulta-
te laborarunt, ipsum pericardium post mor-
tem in immanem tumorem elatum, & magna
aqua copia diftentum, repertum fuit.

SED ad curationes horum morborum venien-
dum est. In *leucopblegmatia*, incisio in tibiae
parte interiore fieri debet, duobus super talum
digitis, ita ut vulnus ad cellulofam membra-
nam nec ultra penetret, quo per dies aliquot
frequens humor feratur; crus autem interea
fovere oportet decocto herbarum emollienti-
um & calidarum, adjecto *ſpiritu vinoſo*, cui
addita sit *camphora*. Hanc medicinam non tan-
tum in hac morbi specie, sed & in ipso *ascite*
multum profuſſe, quin & interdum fanaffe,
multoties expertus sum; profluente per mul-
tos dies tanta liquoris copia, ut fidem ſupereret.
Cavendum autem est, non in ea tantum inci-
ſione, sed & in omnibus, quae in quacunque
corporis parte aquae educendae cauſa fiunt,
ne nimis inde exhaustantur vires; quas aequē
proſternit humor ita emissus, ac ſi ſanguinis
ipſius tantundem efflueret. Aegrum igitur quo-
vis modo ſuſtinere oportet, ne curatio mortem
acceleret; id quod Mihi videre contigit, ſemeſ-
qui-

quidem Mea ipsius non satis caute aegroti robur aestimantis, atque iterum Chirurgi temerarii culpa. At mirum tamen est, quantam aquosí laticis sic effusí jacturam cum levamine ferant interdum hydropici. Cujus rei singulare testimonium proferre libet.

FOEMINA generosa, Mihi cognata, annorum fere quinquaginta, corpore firmo satis & robusto, hydrope intercute simul & ascite laborabat, ita in immensum tandem ventre distento, ut decumbens onus tam grave ferre nequiret. Cum de vita fere desperaretur, unicam spem salutis eamque dubiam, in humoris etalo emissione supereesse dixi. Illa autem strenue repugnabat, se itineris ex misera vita magnam partem jam emensam esse clamans, neque velle regredi. At precibus demum amicorum victa cessit: itaque ex vulnusculo in utroque crure eo modo, quem exposui, facto profluit decem continuis diebus aqua, ad congiū mensuram minimum quotidie. Interea fomentis calidis, & stomachi & virium causa, parti provisum est; hausitque bis die cyathum unum & alterum aquae, in qua calefacta infusa essent herbarum folia amararum; quales sunt *absinthium Romanum*, *centaurium minus*, cum *radice gentianae*, & *seminibus cardamomi minoris*, adjecto *vino chalybeato*. Singulis autem noctibus assumpsit potiunculam, Mihi in frequenti usu, ad ciendas hydropicorum urinas efficacem; quae habet *oxymellis scillitic.* 3*i. ss. aq. cinnamom. simpl. 3*i. sp. lavend. c. syr. e cort. aurant.**

F

sim-

singulorum 51. *M.* Convaluit sensim, & corpus ad pristinum statum rediit. Cum autem vires id ferrent, idoneis medicamentis per alvum purgabatur. Et cathartica quidem paulo valentiora, eaque saepius repetita, desiderat hic morbus; qualia sunt in primis *elaterium*, *mercurius sexies sublimatus*, & *jalapii radix*. Haec igitur debitibus intervallis interponebantur. Cætera autem, quae dixi, ad longum tempus in usum affidue adhibebantur; praesertim vero diureticus ille, quem descripsi, haustus per annum integrum nunquam intermittebatur. Ab his nulla unquam valetudine per quinque annos tentata, morbo acuto tandem correpta periit. Nullus autem dubito, quin totum illud aquarum diluvium, partim ex cellulosa membrana, partim ex sacco a tendinibus muscularum abdominis & peritonaeo, aut duplicitis membranae peritonaei distensione, formato profluxerit.

ORDO postulat, ut de *tympanite* jam dicam. Is igitur, quem ex putrefactione visceris aliquis oriri significavi, prorsus insanabilis est. Qui autem ex aura in ipsis intestinis genita provenit, catharticorum non nimis irritantium assiduo usu, interpositis medicamentis, quae flatus discutiunt, curandus est; iis interim, quæ facillime concoquuntur, in cibum assumptis. At corporis exercitatio non negligi debet. Neque inutile erit per alvum interdum infundere copiosam aquam calidam, atque illam recipere; simulque, quod praecepit Celsus, fermentis carentibus ventrem pluribus locis exul-

exulcerare, & ulcera servare diutius (a). Sin autem hoc crudele videatur, vesicatoria abdomini imponere, & per intervalla repetere, in rem erit.

DIRUS semper morbus est hydrops *ascites*; sive extra peritonaeum ratione jam dicta, sive intra illud, sive denique in ventris cavo aqua abundat. Caeterum quas exinanitiones ferre possit aeger, in primis considerare hic oportet. Ubi enim fractae sunt vires, nocet vehemens per alvum purgatio; & quo plus humoris ex intestinis ejicitur, eo major ipsius copia brevi in ventrem refluit. Cum id fieri animadvertis Medicus, desistere debet, & per iter urinae superabundantem aquam foras propellere. Incertae autem virtutis sunt in hisce casibus medicamenta quaecunque, etiam illa, quae praestantissima censentur diuretica; quae in hoc enim respondent, in illo spem fallunt; aliud igitur atque aliud tentandum est. Ut plurimum vero ex *radice scillae* parata omnium sunt efficacissima. Horum praecipua sunt, quam ex *oxymelle* proposui, potio: aut ipsius *radicis* recentis exigua portio, grana nimirum quinque aut sex; quae cum *pulver. ari compos. 2 ss. rad. zingib. gran. vque contundere*, & cum *syrup. e cort. aurant.* in bolum cogere conveniet, singulis diebus mane devorandum: aut *acetum* denique *scilliticum*, quod stomacho minus ingratum erit, & ad propositum valentius, si hac via

(a) *Lib. III. cap. 21.*

via exhibeatur : *Succ. limon.* 3*vi. sal. absinth.*
3fs. miscentur ; adjiciuntur *aq. cinnamom. sim-*
pl. 31fs. syrup. e cortic. aurant. 3*i. aq. menth.*
piperit. spirituof. 3fs. acet. scillitici 3i. aut 3*i*
fs. Haustus ille bis die bibendus erit. Non
 inutiliter *cinerum genistae* infusionem propter
 vim diureticam praecipiunt Medici ; & est qui-
 dem saepe commoda, modo potus confueti lo-
 co, admisto vini pauxillo bibatur.

IN SIGNIS autem est ad hanc rem , &
 memoratu dignissimus, nobilis foeminae Mihi
 notissimae casus. Illa annos plus minus quin-
 quaginta nata sensit in altero abdominis latere
 durum tumorem , qui sine dubio erat ipsum
 ovarium in immensam molem auctum ; hinc
 disruptis partem illam perreptantibus canali-
 culis ; qui lympham vehunt, sensim fiebat hy-
 drops *ascites*. Frustra erant medicamenta quae-
 cunque, sive purgantia, sive diuretica. Ter
 emissus est ferramento acuto ex ventre humor,
 qui brevi semper iterum in cavum influebat.
 Accidit tandem, ut eam inviseret anicula quae-
 dam rustica, quae abdomen conspiciens non
 sine summo cruciatu distentum facile persuasit,
 ut singulis diebus, mane & vesperi, cochleare
 plenum *seminum sinapis* non contusorum devo-
 raret, decoctique summittatum *viridium genistae*
 semifilibram insuper biberet. Postquam triduum
 hoc modo amarum laticem perpotasset, maxi-
 mum sensit levamen ; quin & fitis, quae mole-
 stissima fuerat , omnino sedata est. Alvum
 interdum duobus aut tribus continuis diebus
 mo-

movebat id medicamentum , & urina quotidie ad libras minimum quinque aut sex profluxit. Perstigit in hisce per annum , neque rediit morbus. Sapienter itaque Medicos monuit Hippocrates , ut etiam a plebeis sciscitarentur , si quid ad curationem utile esset (a).

INUSITATUM fortasse videbitur , imo & periculosum , remedia , quae ad somnum apta sunt , in hoc morbo adhibere. At illa tamen interdum eum usum praefstant , ut etiam urinam moventibus accensenda sint. Ubi enim magnus dolor premit , profusionem ejus haud raro incitant ; non ob aliam , ut opinor , causam quam quod fibras ductuum renalium relaxent , quas cruciatus semper constringit. Hujusce rei fidem faciet memorabilis , quam traditurus sum , narratio.

VIR quidam robustus , sobrius & temperans , annorum circiter quadraginta , hydrope ascite simul & tympanite laborabat. Originem morbo dederat collisio , ab ictu violento ante sex fere septimanas , in dextro hypochondrio facta. Indies ventris tumor augebatur , cum dolore gravissimo , siti intensa , urina admodum pauca , eaque crassa & rubra. Adhibita sunt cum a Me ipso tum ab alio Medico experientissimo , remedia quaecunque ad urinam movendam utilia ; sapo Venetus , salia lixivia , balsamum Gi-leadense , nitrum , & similia ; at incassum omnina.

(a) Μὴ ὄκνεσιν ὁδῷθεὶς ιδοὺς εἰσέρειν , οὐ τι δοκέει ξυμφέ-
γον. Lib. De praecpt.

nia. A catharticis valentioribus in pejus ruebat malum. Paracentesis imperata est, sed renitiebantur amici. Cum dolor jam esset intolerabilis, nec ulla spes de vita assulgeret; ut *ebuvaclov* saltem consequeretur, de anodynis cogitare coepi. Haustulum igitur cubitum ituro dabam bibendum, qui habebat *aq. menth. piperid. 3i. cinnam. simpl. 3ss. spirit. 3ii. tinct. Thebaic. gutt. xxxx. lixiv. tartari 3ss. syr. ex alth/3i. M.* Ab illo insperatum levamen sensit; somnus, qui diu defecerat, obrepdit; profluente per vices ea urinae copia, ut illa nocte librae minimum duae redderentur. Hinc animus mire confirmatus est. Cumque aeger, durante *αναγνιτε*, tum per vesicam, tum per alvum, onus quod gravabat deponi; vi autem anodyni finita, continuo redire, experietur: iussus est eundem haustum octava quaque hora repetere, donec brevi bis die fumfisse satis esset. Quum autem ab affiduo hujus usu minueretur appetitus, infusionis amarae chalybeatae cochlearia aliquot semel vel bis quotidie bibebat; nondum neglepto, si forte dolor ingrueret, divini pharmaci soporiferi usu. Haec ita profecerunt, ut devoratis demum bis die pilulis aliquot ex *pil. e stylac. portione una, corticis Peruviani portionibus duabus, cum terebint. e Chio confectis*, perfecta restitueretur sanitas.

OPERAЕ pretium erit historiam quandam legere, quam narrat celeberrimus Willisius, huic

huic nostrae plane similem (*a*). Sed & expendi merentur, quae ad hanc rem pertinentia protulit eruditissimus Sponius (*b*) Quem enim ille viginti venae sectionibus sanatum hydropem vidi, pariter ac iste, quem retulimus, ex nimio partium internarum ventris calore & inflammatione ortum habuisse, suspicari licet.

NON erit nunc a proposito alienum ab assumptione eorum, quae juvare possunt, ad abstinentiam transire; eam dico, qua quis ab omni potu per longum tempus se cohabet: hanc enim pro remedio etiam Medici commendant. At difficillima sane ista medicina, cum sitis plerumque vehementer premit; quae nisi sedetur, eam molestiam affert, ut vita non tanti videatur, ut homo illam tali cruciatu redimere velit. Novi tamen duos, qui, gravissimo hydropē ascite laborantes, longa istiusmodi patientia sibi ex toto temperando ad salutem perducti sunt. Illi autem bibendi cupiditatem os & fauces succo pomorum acidorum aut limoniorum eluendo, devorato subinde hujus aut illius aliquantilo, pertinaciter fallebant.

SIN autem neque per vulnus in talo, quem adinodum in *leucopblegmatia* proposui, neque per omnia dicta auxilia siccatur venter, sed humor nihilominus abundat; celeriori via succurrere oportet, per ventrem ipsum emittendo.

Haec

(*a*) Vid. *Willis. Pharmacent. ration. Part 1. sect. vii.*
cap. 1.

(*b*) *Aporism. Nov. Sect. v. apor. 31.*

Haec enim ἴνχελησία servat interdum, raro jugulat, & tensionem abdominis minuendo semper dolorem potenter mitigat; quin &, quod maximus usus est, medicinae locum facit.

Scrio deterri saepe Medicos ab hac mendendi via, cuius rei causa praecipua haec est. Aqua, inquiunt, frustra emittitur, quae vitia-
tis partibus internis renascatur; quin &, si temporis intervallis emittatur, in eundum lo-
cum cito refluet; sin omnis simul exeat, mor-
ritur statim aeger. Et certissimum quidem est,
corruptis jam visceribus rem esse desperatam,
humorisque emissionem per intervalla factam
nihil juvare, universi etiam effluxum plerumque
perniciosum esse. Coepi igitur anno MDCCV.
illius rei causam investigare, ut tanto incom-
modo occurrere possem. Et illa quidem, ut
opinor, haec est. Longa abdominis a concluso
humore distensione septum transversum nimis
fursum pellitur, musculi ventris extenduntur,
sanguis per canales superiores, quam per infe-
riores, expeditius fluit, aqua denique com-
pressione sua novam quandam partium vici-
narum dispositionem efficit; unde liquore omni-
simul semelque effuso, septi transversi motus,
ut pro natura solet, deorsum illico fertur, san-
guis in canales inferiores impetu insolito ruit,
& sublata compressionis vi, fibrae eam quam
prius acquisiverant extensionem, & calorem
quem dederat inclusus humor, derepente amit-
tunt; hinc oritur animi defectio, quae saepe gra-
vius recurrens, orto sudore frigido, mox oc-
ci-

cedit. Hoc igitur incommodum commodius praecaveri non posse videbatur, quam abdomen a superioribus ad inferiora manibus fortiter comprimendo, dum aqua proflueret; & postquam omnis effluxerat, fasciis illud satis vehementer astringendo.

PLACUIT in nosocomio hoc primum tentare. Et cum mulier quaedam huic curationi satis idonea se mox offerret, simul ac ab inflicto vulnere prorumpere coepit aqua, ipse sedula cura manibus Meis supra umbilicum ab utroque latere positis, ventrem deorsum compuli, mandans Chirurgo, ut infra hanc partem simul isti rei operam daret; id autem interea animadverte, si vel per temporis momentum manus amoverem, aegram actutum animo deficere. Postquam autem omnis humor effluxerat, fasciis laneis arcte constringebatur abdomen, panno laneo spiritu vino madefacto primum superimposito. Feliciter, & ex animi sententia, magno nostro gaudio successit experimentum. Urinam copiose reddidit mulier, cupiditas edendi rediit, & redintegratis paulatim viribus, morbum recidivum nunquam passa convuluit. Tanti interest rerum causas cognovisse.

A b eo tempore istam medendi viam tenuerunt Medici, non nostri tantum, sed & exteri; interdum etiam, ut in novis experimentis non raro fieri solet, nimis audacter. Quibus enim jecur male affectum est, quorum stomachus est corruptus, quive malo corporis habitu laborant; iis vix quidquam spei in hac medicina relin-

quitur. Cautiones igitur nonnullae hic semper necessariae sunt; quarum praecipuas peritiissimi Chirurgi, G. Chefelden (*a*), & S. Sharp (*b*), clare proposuerunt.

FATENDUM est autem, quantacunque prudentia officium suum exsequatur Medicus, saepe tamen hydrope reverti. Verum illud non obstat, quo minus hoc inventum magni aestimari debeat; cujus ope plurimis vitam, eamque facile tolerandam, quin & nonnunquam jucundam, ad multos annos prorogataam fuisse novi. Quod quidem cum multis exemplis constet, unum solummodo omnium loco adduxisse satis erit.

ILLUSTRIS quaedam vidua, anno aetatis suae quinquagesimo primo, in hydrope *ascitem* delapsa est. Emissus est ex ventre humor, qui cum refluxeret semper, singulis mensibus per annum unum educebatur ad mensuram librarum quadraginta quatuor. Anno insequente, singulis etiam mensibus aqua emissa est ea quantitate, ut per quamque hebdomadem colligi libras duodecim compertum esset. Anno tertio, minui coepit humoris quantitas, ita ut mense unoquoque librae tantum viginti quatuor effluerent. Quarto autem & quinto, sextique septem mensibus, aqua tricies educta, non ultra sedecim per singulas vices profluxerunt. Et post novissimam emissionem languere coepit

(*a*) *Anatomy of the human body, Book III. chap. 10.*

(*b*) *A treatise on the operations of surgery, chap. 13.*

pit, ac tabescere; difficultate etiam spiritus, ut in hydrope pectoris observamus, assidue fere premebatur, & animo frequenter deficiebat; cum antehac per totum morbi decursum, quoties intervalla essent emitendi humoris, alacris & vivida congressibus amicorum, exercitationibus, quin & choreis sese recrearet. Coepit illam tandem vitae & curae taedium, placidaque tandem morte occubuit. Mirandum sane est eo temporis spatio tantam humoris copiam ex corpore humano suppeditari potuisse, libras nimirum mille nongentas & viginti; quas in ipsis ovorum conceptaculis, quae recentiores Medici *ovaria* appellant, primum collectas fuisse opinor. At ipsa denique moriens testamento suo mandavit, ut ad futuram rei memoriam summa eorum, quae memoravimus, Anglico sermone monumento suo inscriberetur. Verba ipsissima adjungere libet.

*Here lies Dame MARY PAGE,
Relict of Sir GREGORY PAGE Baronet.
She departed this life March iv, MDCCXXVIII,
In the LVI year of her age.
In LXVII months she was tapped LXVI times,
Had taken away CCXL. gallons of water,
Without ever repining at her case,
Or ever fearing the operation.*

Monumentum autem illud in campo, dicto *Bun-*
bil Feilds, extra urbem visitur.

A E Q U E memorabilem, at exitu feliciorem,

ca-

casum praebet illa, quam traditurus sum, narratio. Virgo septendecim annorum sensit sibi intumescere ventrem, parvaque copia urinam reddi; a quibuscumque remediis pejus habuit, & post annum haud aliter ac gravidae disten-debatur abdomen. Eo tempore nupsit, spe proposita, Maritum fore pro Medico. At lon-ge fecus res evenit; per annos tres increvit sen-fim hydrops, ita ut tandem ventris disruptio formidaretur. Cum dolor jam intolerabilis pre-meret, a Me petit, ut aquam manu Chirurgi, quem in nosocomio eventu secundo hanc me-dicinam fecisse audiverat, quo saltem levare-tur cruciatus, educi curarem. Ego, ne occi-disse, quam servare non potui, viderer, in corpore macie jam paene confecto, id sine maximo vitae periculo tentari non posse edixi. Misera tamen instare, & precibus rogare, ne se desererem, assiduis tormentis & lenta mor-te consumendam. Cessi precibus victus, & illa, quam dixi, via emissae sunt simul & se-mel humoris limpidi, ac nullo modo foetidi, librae sexaginta. Ex eo tempore indices auctae sunt vires, morboque nunquam postea rever-tente, elapsis decem mensibus filium robustum peperit; plurium etiam exinde foecunda pa-rens.

ILLUD denique subjungam, medicinae hu-jus necessitatem inde liquere, quod longe tu-tius sit, aptis servatis cautionibus, aquam emit-tere; quam dum illa, rupto sponte sua ventre, prorumpat expectare. Hoc enim interdum

ac-

accidit, nec sine summo vitae discriminē. Semel tamen vidi mulierem, cui id contigerat, salvam evadere. Illa, abdomine in immensum aqua replete, Me accersivit; morbum infanabilem esse denunciavi, neque enim superesse vires. At Me fecellit opinio. Nam post paucos dies, auditō illam adhuc vivere, revisi, & rei novitate perculsus sum, conspiciens vaſa duo humore plena, alterum duodecim fere libras, alterum sex, continentia; quarum illae rupto aquālico prope umbilicū uno die, hae disruptione juxta eundem locum postridie facta, exierant: ita in biduum medicinam suam divisit natura. Cum aegram jam languidam, & tantum non moribundam deprehenderem, non alia auxilia, quam quae cordi utilia essent, proposui; jussis etiam adstantibus *spiritu vinoſo* abdomen fovere, simulque praedicens fore ut propediem moreretur. At mulieri, ne mortuae quidem, vix credendum est. Iterum falsus sum; & post menses aliquot incolumen morboque isto (in quem, quantum scire potui, nunquam denuo incidit) immunem aspexi; vulnera etiam fine ulla praeter eam, quam dixi, medicatione sponte coerant.

FINIS longae hujus chartae erit narratiuncula, ex qua manifestum fiet, naturam quandoque modo etiam ab hoc, quem proxime descripsi, longe alio hujusmodi onere se levare. Mercatorem quendam *ascite* gravatum, una cum alio Medico experientissimo, curabam. Tentatis incassum usitatis remediis, ad paracē-

centesim, tanquam ad facram anchoram, confugimus. Emissae itaque sunt humoris limpidi & tenuis librae circiter viginti. Post aliquot hebdomas de novo intumuit venter. Convenimus ideo mane Chirurgum abdomen denuo exinanituri. Subridens autem aeger nulla se jam amplius egere curatione dixit; & nudato corpore, abdomen molle laxumque ostendit. Mirantibus & rogantibus, numquid ea nocte per quascunque vias effusum fuisset, respondit, neque per alvum, neque per renes, neque per sudorem sibi plus solito profluxisse. Per glandulas itaque, & exiles meatus, in peritonaeo, & membranis vicinis, absorptus fuit totus ille humor. Ipse autem postea Medici cujusdam empirici curae nimis imprudenter se commisit; & ad praecavendum morbum valentissimis catharticis usus, brevi post, exhaustis viribus, consumptus est. Vix ulla tamen humoris copia im aperto cadavere deprehensa.

JAM DUDUM noverant Anatomici humorem ex ventre in partes circumiacentes absorberi. Si enim aquae tepidae libra per syringem, facto exiguo vulnere, in vivi canis abdomen immittatur; illo post paucas horas inciso, ne guttula quidem ejusdem ibi reperietur. Ita *corpus universum tam foras quam intro, perspirabile est*: id quod olim docuit Hippocrates (a) Sed legenda omnino sunt, quae ad hanc rem perti-

(a) Ἔκπνεον καὶ οὐσιώδεις ὄλετο τὸ σῶμα Epidem. vi.

tinentia scripsit Medicus doctissimus, Abrahamus Kaav; qui per omnes corporis membranas, tam in fano, quam in morbo statu, recipi & transudare humores ostendit (a).

(a) In libro, cui titulus, *Perspiratio dicta Hippocrati per universum corpus anatomice illustrata.* Lugduni-Batavorum, MDCCXXXVIII.



C A-

C A P U T I X.

De jecinoris morbis.

PLURIMIS morbis ideo patet jecur, quod bilis multis modis vitium facit, ex qua fere oriuntur hujus visceris mala. Omnim autem frequentissimum est *icterus*; in cuius naturam, quoniam ea, quae super illo tradiderunt auctores, Mihi minus satisfaciunt, paulo accuratius inquirere lubet.

S E C T I O I.

Icterus.

BIILLIS est sapo quidam naturalis, hoc est, mistura ex oleo, aqua, & sale tam volatili quam fixo composita, ad varios fabricae animalis usus in hepate e sanguine separata. Nil mirum igitur, cum *sanguis* ipse modis quam plurimis corrumpi possit, humorem hinc interdum officiis suis ineptum reddi. Peccat autem non raro lentore, nonnunquam etiam nimia ratiitate. Illud ubi est, obstruuntur glandulae huic fecernendae aptae, & exigua copia in canaliculos suos derivatus liquor in iis haeret;

in-

inde jecur durum evadit, nascunturque sub ejus tunica congeries albidae, saponem crassiores referentes. At non tantum ab impedito bilis transitu propter visciditatem, sed etiam a raritate ejus provenit hic morbus. Sal enim volatilis, quem partim bilem componere diximus, nimis abundant; unde tenuis nimirum & calidus humor intestina plus satis irritat. In priore casu adstringenter est alvus, faecesque crassae, argillae vel luto similes, aegre dejiciuntur; in posteriore diarrhoea, cum febre & liquidis flavisque dejectionibus, assidue sollicitat. Illi morbo obnoxios reddit vita desidiosa, sine debitis corporis exercitationibus acta; salis enim defectu pars bilis oleosa concreseit: hoc plurimum ii laborant, quibus facultates suae inutiles sunt; & qui genio indulgentes vino meraciore corporis humores accendunt.

SED & alia est icteri species, his quas descripsimus causam habens prorsus dissimilem, quae a nervorum convulsionibus originem trahit; nempe cum humor ille subtilis & elasticus, quem vehunt, acritudine & vi nimia praepollens, bilis canales ultra modum constringendo per hepar illam transire non finit; unde in sanguine exsuperans in quascunque corporis partes diffunditur. Tale quid cruciatibus colicis, quin & icteribus viperarum, supervenire jam olim ostendimus (a).

NEQUE adjicere alienum erit, constrictio-
nem

(a) *Mechanical account of poisons*, Essay I, edit IV.

nem non huic similem, sed ab ipsa glandularum in abdomine induratione factam, interdum evenire, jecinore & vesica ejus bile distentis, cum tamen nulla hujus portio in intestina delabi possit. Vidi olim in nosocomio insigne hujus rei exemplum. Vir quidam operarius annorum quadraginta & duorum, cum ante quinque menses ab acuta febre convaluerat, sensit in hypochondrio sinistro inflammationem; qua repressa, in iicterum pertinacem incidit, alvo faecibus albis adstricta, breve periit. In aperto abdome fluitabant sanguinis, ad sensum saltem, sinceri librae quatuor. Mirantibus unde is effluxerat, se viisi obtulerunt membranulae quedam, quasi dirupti faculti fragmenta, putrido hic loci & corrupto omento. Pancreas autem non scirrho tantum, sed & cancro, occupatum fuit; ex illo enim inciso in Chirurgi faciem lymphae guttulae aliquot acres adeo & corrodentes prorumpebant, ut cutem non fecus, ac oleum vitrioli, laederent. Lien etiam scirrhosus erat. Vesica fellis maxima, & bile repleta; non flava, sed viscidior, & obscure virescente. Hepar nusquam induratum; & ubique infligeretur vulnus, similem humorum profudit. Universas denique corporis partes, membranas, adipem, glandulas, imo ipsam costarum substantiam, colore flavo suffusas observavimus; fibris muscularibus solum exceptis, quae nusquam erant infectae. Ex vesica autem digitis compressa nihil bilis in intestinum effluxit; ita enim, quasi injecto vinculo,

culo , contraëctus erat , qua ductus hepaticus cum cystico in unum coït , hujus meatus , ut stylum non caperet . Hanc narratiunculam ideo memoravi , ut manifestum fieret , ex causis quam variis , iisque etiam interdum mortiferis , oriatur hic morbus .

MULTIPLEX adeo malum multiplicem curationem desiderat . Ubi alvus cum faecibus coloris cinerei vel albidi est adstrictior , medicamenta *saponacea* cum per se , tum *rhabarbaro* conjuncta ; necessaria sunt . Cum fusior est , non tam comprimere , quam moderari illam oportet ; in primis ope *rhabarbari* , admisto remedio anodyno . Nusquam autem magis convenient somno & dolori sedando apta , quam illis in casibus , quos a constrictione canaliculorum , qui bilem ferunt , nervorum convulsionibus orta , provenire diximus . In omnibus autem icteri generibus , si inflammatio adsit , sanguis detrahendus est ; quin etiam vomitus per rumque eliciendus .

ISTA , quam dixi , inflammatio saepe in suppurationem vertitur , & fit vomica ; ex qua si fertur pus purum & album , salutis spes est , quia malum est in tunica . Sin autem totum jecur ab ea consumitur , lenta febre & anxietate summa diu luctatus moritur aeger . Frequentissimus est , ut a viatoribus accepi , in *India Orientali* dirus hic morbus , & emissio per medicamentum causticum humore , non raro sanatur . Ulcus autem , ut in fonticulis mos est , diu apertum servare oportet . Me-

G 2 mo-

morat hunc effectum doctissimus Bonitus , & curandi modum illi , quem proposuimus , non absimilem diserte satis explicat (a). Quin & eandem Medicis nonnullis olim in usu fuisse , obseruat Celsus (b).

Ex iis denique , quae bilem ipsam emendant , nihil utilius est illa potionē , quae habet *succi limoniorum* drachmas sex , *satis absinthii* drachmam semis , *aqua cinnamomi simplicis* unciam unam , *sacchari albissimi* scrupulum unum ; quae etiam , ubi alvus nimis soluta est , auxilio erit , modo somniferis vis ejus irritans rite coērceatur. Propter vires etiam consimiles *elixir vitrioli Mynsichti* , ex *aqua Bathonieni* aut *Spadana* assumptum , multum commodi adfert.

S E C T I O I I .

Diabetes.

NIMIAM urinae saporis , odoris , & coloris mellei , profusionem , *diabeten* dictam , non renum esse , ut vulgus Medicorum existimat , sed jecinoris morbum , indicis certissimis jam dum demonstravi (c) Nolo cramben bis dictam

(a) Vid. *Histor. nat. & medic. Ind. Orient. Lib. II.*
cap. 8.

(b) *Lib. IV. cap. 8.*

(c) *Mechanical account of poisons* , *Essay I. edit. 4.*

Etiam apponere; & ea, quae fatis, ut opinor, prolixo proposui, repetere. Unicum tantum illis, quae de cura ibi dicta sunt, remedium adjungam, hoc est serum aluminatum quod ex *lactis paululum cocti libris* quatuor, & *aluminis drachmis* tribus conficitur. Si hujus enim quarta librae pars ter minimum die bibatur, ad prosluvium illud sistendum plurimum valet.


Si quis autem quaerat, unde tanta humoris copia in hoc morbo laborantibus suppeditari possit: Facili sane experimento comperimus, corpora quaedam interdum imbibere, & ad se trahere, ex aëre humidum; quo cum moles, tum pondus, eorum augeatur. Ita *sal tartari* udo aëri expositus in tantum crescit, ut libra una rite calcinata ad libras decem exsurgat. Quidni igitur dicamus, ex sphæra vaporum nos ambiente nonnullos eorum corpus ad illos recipiendos aptum intrare, qui humoris aqueo in renes derivando conjuncti copiam ejus accumulent? Quapropter, cum frigidus ac humidus aër hoc malo affectis minime conveniat, calidum certe & siccum, si liceat, eos petere oportet.

RATIONEM autem hic reddere lubet, qui factum fuerit, ut apud antiquos tam raro occurreret hic morbus, ut illum bis tantum se vidisse referat Galenus (*a*). Id igitur ex more vivendi, quo utebantur, nostro multum dissimili provenisse autumo. Illos enim hoc

ma-

(*a*) *De locis affectis*, Lib. vi.

malum maxime corripere dixi, qui inertes ac desidiosi vitam agunt; & luxuria assidue diffluentes, postquam vino meraciori sanguinem & humores accenderint, frigidis potionibus intempestive sitim restinguere solent. Veteres autem, licet plus satis vinosi, prudentiores tamen hac in re sibi cavebant; & inflati venas mero paulatim ad temperantiam redibant, sensim corpus refrigerantes, calidisque aut saltem egelidis liquoribus sitim compescentes.



C A.

C A P U T IX.

De morbis renum & vesicae.

PRIUSQUAM ad morborum renum & vesicae medicinam accedam, nonnulla de morbis istis praefari commodum erit; horum enim naturam non dilucide satis videntur explicuisse auctores, cum tamen hanc novisse non parum ad eorum medelam conferat.

OBSERVASSE olim Me memini (sicut alias dixi (*a*) in cadaveris sectione pueri quinquennis, quem ad mortem craciaverant graves nephritidis dolores, varios gradus, quibus calculus in lapideam duritiem concreverat. Opulti erant cum renes tum ureteres materia calculosa, quam cernere erat varias hic illic concretionis formas induisse. Primum mali fundamentum erit aquosus & limpidus humor, qui paulatim lactescens in tenues & ramosas crystallos abiit, quibus in unum coëuntibus accessit tandem lapidis forma & durities.

TARTARUM quoddam hostili coagulatione in renibus genitum calculi esse materiam, non sine ratione ut opinor, dixit in experimentis chemicis versatissimus Helmontius (*a*). Quam qui-

(*a*) *De imperio solis & lunae*, pag. 55.

(*b*) Vid. *Supplementorum Paradoxum numero criticum.*

quidem opinionem confirmare videtur analysis ejus facta per ignem, cum tartari ex vino Rhenano resolutione comparata. Hujus rei experimentum fecit vir ingeniosissimus, Stephanus Hales (*a*). Et in tartaro quidem Rhenano comperit tertiam totius massae portionem esse aërem elasticum, calculum vero parte plus quam dimidia ex aëre ejusmodi constare; quam aëris proportionem in nullis aliis corporibus potuit deprehendere.

ANNON igitur conjicere licet, causam hujus morbi proximam esse sales tartareos ex sanguine in canaliculos renales delatos? Salium enim istorum ea est natura, ut subtilissimae illius materiae, quam praeter alias dotes cohaesioneis corporum causam esse monstravit illustris Newtonus, magnam quantitatem inclusam teneant (*b*). Est igitur calculus materia ex terra, maximamque partem ex aëre, in renum tubulis concreta; quae aut in iis haeret, aut in vesicam delabitur. Haec ideo paulo latius exposui, ut, quibus modis medicinam hic facere oporteat, ostenderem.

ET primum quidem, ut venienti morbo occurratur, ne in crystallos abeant sales isti, *lixivialia* dicta *salia* optime prohibitura videntur. Crystallorum autem in calculum concretioni oleosa corpora maxime obstabunt. Et hoc

(*a*) *Statistical Essays*, Vol. 1. pag. 184. & 193.

(*b*) Vid. *The life of Mr. Boyle*, prefixed to his works, pag. 70.

hoc sane praeceptum tam in victu, quam in medicamentis; locum semper habere debet.

CUM autem eo res devenit, ut expellenda sit per ureteres moles concreta, summa hic prudenteria opus est. Peccatur saepissime in usu medicamentorum, quae magna urinam movendi vi pollut; quibus scilicet arenulas simul propelli posse, spe plerumque vana, Medici existimant. Tutius enim plerisque in casibus eas res laxantibus & lubricantibus peragitur; praesertim si, cum vehemens sit dolor, missio prium sanguine, remedia anodyna interponantur. Nunquam enim, dum in magno cruciatu aeger est, foras pellitur calculus; qui, cessante cruciamento, cum fluxu urinae sponte sua fere & insperato interdum exit. Illud inde fit, quod dolor partium fibrillas coarctat; quae, ubi abest molestus sensus, officio suo rite funguntur. Idcirco non sine magno levamine, & interdum commodo etiam majore, *opii grana tria* quatuorve in *decocti communis* unciis quinque aut sex soluta, per clysterem in alvum infundi possunt. Est autem, cum, sedato jam angore, diureticis etiam valentioribus pugnare liceat; ea tamen circumspetione, ut postquam effectum fortita fuerint, iis non diutius infistatur.

ALVUS interim semper laxior esse debet: itaque si adstrictior sit, infusa lotione ex *decocto communis*, adjecta *terebinthina* emollire convenit; interdum & *infuso senae*, *commista manna*, purgare: neque enim nimis sollicitanda est.

G 5 L u.

LUBRICANTIA, quae dixi, medicamenta praecipua sunt, *oleum amygdalarum dulcium*, *syrupus ex althaea*, *emulsiones ex amygdalis*, & *confimilia*; quibus adjungendus erit balnei tepidi usus. Inter diuretica autem valentiora *terehinthina* & *sapo* praestant.

E t his quidem in ipso morbi accessu proficitur. Extra illum autem saluti conducunt corporis exercitatio; in primis equitatio assidua, sed citra fatigationem: cibus ex media materia, quique facile concoquitur: pro potu, aut vinum tenue aqua dilutum, aut cerevisia non lupulata, recens & minime acris; quae, si tempore fermentationis infusa sint *bederae terrestris folia*, eo jucundior erit & salubrior. Mulfsum etiam convenit; nullum enim diureticum melle praestantius est. Hujus cochleare ex cyatho uno aut altero infusionis *radicum althaeae* renes, si assiduus ejus usus fuerit, optime purgabit. Vina eligenda sunt, in quibus minimum acoris inest. Aquae levissimae, purissimae, & ex fluminibus cursu exercitis haustae, potui sunt idoneae. Damnantur enim, ut ait Plinius, *in primis fontes*, quorum aquae decoctae crassis obducunt vasa crustis/(a).

MAGNO PERE autem cavendum est ab assiduo illorum medicaminum usu, quae magna vi urinam cident; praesertim ubi id agitur, ut nullae fiant in rebus arenularum concretiones: illa enim, quantumvis de iis magna promin-

(a) *Nat. Hist. Lib. xxxi. cap. 3.*

mittant rerum ignari, acrimonia sua & calore partes labefactant & laedunt. Neque temperare Mihi possum, quin dicam in opprobrium nuper Medicis nonnullis cessisse, quod insano pretio redimendi anile remedium magnatibus auctores fuerunt ; quo ipsos etiam in vesica calculos in ramenta comminui, & hinc foras per urinam pelli posse , vana spe delusi spondebant. Erat medicamentum hoc ex *sapone calcibusque testaceorum* non unius generis confectum, quod nemo non videt virtute summe caustica pollere. Monstrabatur interea coram populo in rei testimonium calculosa massa una & altera, ex vesica illorum, qui illud assumpferant, exfecta, inaequali superficie & foraminibus hic illic quasi erosa ; quas cavernulas notas esse & indicia medicaminis, vim suam exerere jam incipientis, credi voluerunt. At scivisse debuerant, non raro calculos in vesica nasci ita conformatos, ut speciem lapidis hic illic exesi prae se ferant ; id quod ipse non semel vidi. Tanta est in lapidibus cuiuscunque generis formandis varietas. Et legi quidem velim super omni hac re librum ab Anatomico & Medico insigni circa id tempus editum, utilibus documentis plenum ; in quo tum noxae, tum fallacia, hujus medicaminis diserte exponuntur (a).

NIL mirum fane est, legislatores nostros,
cum

(a) Parsons's Description of the human urinary bladder, &c.

cum tanta de nova hac , ut dicebatur , medici na praedicarentur , quovis fere praemio il- lius componendi modum comparare voluisse , ut reipublicae causa in lucem ederetur . Et e- rat quidem id ipsis laudi , quod hortatoribus culpae verti debet ; quos nosse oportebat , res tam acri virtute praeditas , ut calculos com- minuant , non posse , illaesa vesica , in hanc partem illabi . In summa , valet aliquid ad a- renulas foras per urinam pellendas ista confe- ctio , at calculos duritiae lapideae nunquam confringere poterit ; quin & longus ejus usus magno periculo non vacabit , propter rationes jam expositas . Neque multo tutius erit , licet forma commodius , *lixivium saponarium* ejus loco in potu datum , eandem scilicet ob cau- fam .

VERUM TAMEN cum in re tanti momenti nihil dissimulare , nihil celare oporteat ; utilita- tis publicae causa , quaedam a doctissimo Ro- berto Whytt , medico *Edinburgensi* , experi- mentis comperta memorare juvat (a) . Ille enim , cum incommodis , tum interdum etiam noxis , celebris hujus antidoti perpensis , omisso *sapone* , vires quas haberet *aqua calcis* , non calce viva , sed rite calcinatis ostreorum aliarumve concharum testis parata , ita ut librae septem vel octo aquae testarum calcinatarum li- brae uni affunderentur , experiri voluit . Res ipsi ex voto cecidit ; & multo quidem potius cal- cu-

(a) *Medical Essays* , *Edinburgb.* Vol. v. *Essay* 69.

culum solvere hunc liquorem , quam vulgarem aquam calcis , fragmentorum calculorum immersionibus in utraque factis , facile didicit. Modum deinde illam exhibendi ostendit ; quatuorque libras adultos , pueros pro ratione aetatis minus , quotidie bibere jubet. Non uno autem exemplo felicem medicinae hujus effectum comprobavit.

OPERAЕ pretium certe erit ipsam ejus dissertationem perlegere. Ego interim eo libenter haec adduxi , quod nuper , ut ex ipsius ore accepi , Medicus quidam *Londinensis* , Mihi amicissimus , hac ipsa medendi via mercatorem graviter laborantem morbo eripuit ; plurima enim frustula , nunc crustularum , nunc exiguorum nucleorum instar , simul cum urina foras ejiciebantur. Minime autem sperandum , sicut antea dixi , ut lapides ad silicem fere duritie accedentes quovis medicamento comminuantur.

GRATULOR itaque civibus nostris de scientia & dexteritate Chirurgorum nostrorum , qui novam viam tutius & expeditius calculos ex vesica exscindendi adinvenerunt (a). Jam enim non pueri tantum & juvenes , sed & aetate proiectiores , sine magno periculo hanc ἐγχειρίδιον ferre possunt ; nec cum major sit calculus , quam ut cervix vesicae , nisi rupta sit , extrahi sinat , illum findere necesse est : id quod reperisse dicitur Medicus *Graecus* Ammonius , ob id λιθοτόμος cognominatus (b) .

(a) Vid. *Chefelen's Anatomy* , edit. v. cap. vi.

(b) *Celsus* , Lib. vii. cap. 26.

C A.

C A P U T X.

De morbis oculorum.

MORBOS oculorum tanta cum diligentia tractarunt scriptores, ut supervacuum fere habeam de illis quidquam dicere. Ex veteribus in primis Celsus (*a*), ex recentioribus Vopiscus Fortunatus Plempius (*b*), accuratissime eos enumerarunt & distinxerunt. Et ille quidem Graecos auctores tam Medicos quam Chirurgos habuit, quorum opera ad nos non pervenerunt, ex quibus maximo usus iudicio medicamenta quam plurima aptissima selenigit; hic vero nova infuper inventa usibus Medicis accommodavit. His tamen adjungi velim librum a duobus summis Geometris, junctis operis, conscriptum; in quo ea, quae ad viñum pertinent, plane & dilucide expoununtur (*c*). Lectu etiam dignissima sunt, quae de hac materia differuit Medicus *Edinburgensis*, jam alias a Me laudatus, Porterfieldius (*d*).

M 1-

(*a*) *Lib. vi. cap. 6.*(*b*) *Ophthalmogr. Lovaniæ, MDCLIX.*(*c*) *A compleat System of opticks, by Robert Smith, LL. D. with an Essay upon distinct and indistinct vision, by James Jurin, M. D. Cambridge, MDCCXXXVIII.*(*d*) *Vid. Medical Essays, published at Edinburgh, Vol. III. pag. 160. & Vol. IV. pag. 124.*

MIHI igitur sat erit de ingentibus quibus-dam vitiis, quorum natura vulgo non satis perspecta fuit, quaedam monuisse.

S E C T I O I.

De gutta serena.

AFFECTUS gravissimus simul & difficilimus is est, quem *άμαρτων* Graeci, sequioris aevi Medici Latini barbara voce *guttam serenam* appellant. Hic ex variis causis nascitur, quarum communissima est arteriarum, quae tunicam *retiformem* dictam perreptant, a sanguine viscidiore per gradus facta obstructio. Ab ea enim evenit, ut lucis radii, qui rerum imagines in oculi fundo depingunt, in dilatatos hosce sanguinis canaliculos sine effectu incident; unde visus pro ratione damni aut imminuitur, aut penitus perit. Hunc etiam morbum interdum facit nervorum, ex quibus contexta est haec oculi tunica, resolutio; quippe quae tollit quadantenus eorum sensum, unde lucis corpusculis non ea vi impellantur, ut ad cerebrum res objectas transferre possint. Ipsius denique nervi optici, sive ab humore glutinoso effuso, sive duro tumore ibi nato, compressionem, antequam is a *thalamis* suis dictis exiret in oculos, hujusmodi caecitatem afferre observavi. Id autem spi-

ri-

rituum animalium ad cerebrum meatus intercludendo efficitur.

Tot casibus etiam in uno morbo patent oculi, qui ad usum simul & dulcedinem vitae plurimum conferunt. Quibus igitur modis hos tueri oporteat, jam dispiciendum est.

IN PRIMIS autem mala haec internoscere, & quaenam in singulis signa spem aut metum ostendant, scire expedit.

CANALICULORUM igitur sanguine viscidio oppletorum indicium est gradatim superveniens pupillae dilatatio. Haec enim naturae sponte fit, ut incommodum, quod multis lucidis radiis in arteriolas, loco nervosarum fibrillarum, impingentibus visus patitur, solito majore horum numero pensetur. Hinc nervorum resolutio, quae derepente saepe fit, instant dilatationem vix ita patefacit. Effusus vero in ipsum nervum humor, aut sensim agnatus ibi tumor, ampliorem pupillam propter dictam rationem comitem habet.

Vix ulla igitur medicina hos periculo subtrahit, quibus naturalem suam angustiam tuerit pupilla. Idem quoque de iis dicendum est, quibus visum ademit morbus; qualis est intracranium genitus humor, aut tumor, ipse insanabilis. Qui enim levamen recipere poterit aut subita nervorum debilitas, aut humor, tumorve, propter locum, quem tenet, indissolubilis? Sola igitur, quam primo loco posui, caecitas hujusmodi medicabilis est. Nisi in illa, quam fecit tunicae retiformis resolu-

lu-

lutio, spes aliqua salutis per ea forsan effulgeat, quae nervorum resolutioni conveniunt; quorum praecipua sunt aromatica, & ferro parata medicamina, & gummi foetida.

Quibus autem modis curationem aggredi oporteat, jam proxime dicendum est.

Et viis quidem quibuscumque tollendam esse istam canarium opptionem, & emendandum sanguinis lentorem, manifestum est. Sanguinem igitur primo, tum e brachio, tum e vena jugulari, detrahere oportet, & vicibus quidem pro morbi ratione iteratis. Neque inutiles sunt cucurbitulae sub ipso occipitio, factis profundis incisuris, collocatae; ut hac via ex cerebri sinibus, qui laterales dicuntur, crux emittatur. Cathartica etiam dare, ex iis praecipue, quae crassos humores expurgant, necessarium est. Cum autem nihil ad incidendos, & foras pellendos, tenaces & viscidos humores hydrargo valentius reperiatur, mercurium sexies sublimatum aliis purgantibus adjungere, vel potius, hoc per se assumpto, post paucas horas lene aliquod catharticum propinare, commodissimum erit.

Et haec quidem, incipiente jam & recenti malo, saepe satis ad votum cedunt; interascens autem morbus potentius auxilium desiderat, copiosam nimirum medicamenti hujus ope, parva copia & brevibus intervallis per os sumpti, factam salivae irritationem. Singulare enim & eximium pondus, quo pollet metallicus hic liquor; uti & natura ejus,

H

qua

qua in minutissima corpuscula facile separabilis est; faciunt, ut intimos quosque corporis recessus subeat ac penetret, haerentesque in his fortes abstergat, &, quacunque datur porta, foras ejiciat.

Hoc Ego usus experimento, dum juvenis adhuc medicinam facerem, pauperibus primum in nosocomio, deinde & aliis, visum vitaèquæ solamen reddidi; laudantibus Medicis, qui ad id usque tempus malum hoc, cum invaliduerat, immedicabile esse putarant. Consilium autem rei hujus periculum faciendi ideo cepi, quod ex optices scientia didiceram, corpuscula quaedam in humore oculi, *aquo dicto*, natantia, morbi hujus causam esse (quae vulgus erat opinio) non posse; utpote quae omnimam viciniam imaginem sui in oculi fundo delineare nequeant. Alia igitur causa quaerenda fuit: quam an veram repererim necne, penes rerum mathematicarum peritos judicium esto. Mihi profecto, quantum ad medicinam recte faciendam conferat vera mathefis, hoc invento illustre documentum dari videtur.

S E C T I O I I.

De suffusione sive cataracta.

NON parvum vitae taedium affert visus defectus, Graecis γλαύκωμα, Latinis veteribus *suf-*

suffusio, recentioribus *cataracta* dictus. Is est quaedam humoris crystallini obscuritas, qui ex pellucido in glaucum colorem plerumque mutatur; unde lucis radiis transitus ad fundum oculi prohibetur.

EXISTIMARANT omnis aevi Medici cœpitatem hanc originem trahere a membrana quadam, praeter naturam hic concrecente, quae veli instar humori crystallino obtendetur; visumque restitui, hac membranula acu depresso. At nostro demum saeculo patuit error iste. Dissectis enim post mortem tam oculis illorum, qui hoc vitio affecti nunquam di etiam curationem experti fuerant; quam aliorum, quibus illa ἐγχειρίδιο bene cesserat: nulla apparente membranula, compertum est, ariditatem, duritiem, & opacitatem pellucidi istius & globosi humoris morbum hunc genuisse (a).

RETICENDUM autem non est, deprensam suisse aliquando, sed rarissime, in manu Chirurgi veram membranulam (b). Hoc nuper docuit peritissimi apud nos Anatomici & Medici, Thomas Lawrence, solertia; qui tegumentum quoddam membranaceum pupillæ obductum ex infantis corpore, cera etiam liquidissima repletis arteriolis id perreptantibus, Mihi ostendit

(a) Vid. Antoine Maitre-Jean, *Traité des maladies de l'oeil.* A Troyes, MDCCVII.

(b) Vid. *Histoire & mémoires de l'Academie Royale des sciences.* A Paris, MDCCVIII.

dit. Hinc itaque didici, etiamsi certissimum sit ipsum crystallinum humorem in longe plurimis hujusmodi casibus acu Chirurgi loco suo dimoveri; posse tamen interdum fieri, ut membrula quaedam deprimatur, quae infortunio aliquo ariditatem forte contraxerat.

SOLA igitur Chirurgi expertissimi manus hic opus est. Suffusionis autem quaedam maturitas expectanda est, rerumque circumstantium habenda ratio; ex quibus, an satis opportunus curationi sit oculis, dignosci queat.

S E C T I O III.

De albugine oculi.

H A U D leve malum quoque est oculi albugo, a qua plus minusve laeditur visus, prout maiorem minoremve tunicae corneaे portionem coloci, quo pellucida est, vitium hoc occupaverit. Interdum enim in extima tantum hujus membranae facie sedem figit; interdum parti interiori, nunc altius, nunc minus profunde inhaeret.

O R I T U R autem ut plurimum ex inflammationibus, effuso inter tunicae hujus membranas humore; & maxime quidem in variolis, suppurantibus hic loci morbi pustulis.

D U O B U S ipse modis istud lucis impedimentum amovendum curavi, altero in exteriori,
al-

altero in interiori malo usus. In priori casu pulverem hujusmodi adhibui. *Vitrum communne* mortario impositum in pollinem tenuissimum terebatur, qui *saccari canti albi* pari portione commixtus, multo labore super marmor laevigabatur. Pulvisculi hujus aliquantulum, in oculum ope calami indies immissum, vi sua incidendi paulatim maculam abstergit & abradit. Alter, quem dixi, modus labeculam hanc tollendi is est, ut solers & cautus Chirurgus illam scalpello gradatim & quotidie excidat; ex lamellis enim sibi superincumbentibus conficitur haec tunica, crassa & firma satis, quae particulas aliquot abscedi patiatur. Pulveris istius ocularii usu multos sanatos vidi; cornea vero resectionem semel tantum, aut bis, felici cum eventu expertus sum. Sed satius est anceps remedium experiri, quam nullum.

Odorum vires.

DE reliquis sensibus vix quidquam magni momenti occurrit, quod proponam; paucis quibusdam, quae ad *olfactum* pertinent, exceptis. Cum quotidie enim *magnam odorum vim* tam ad laedendum, quam juvandum, corpus nostrum experiamur; de hisce quaedam breviter faltem dicere non erit inutile.


ET primum quidem vis horum nociva in morbis, qui contagione serpunt, inferendis satis manifesto se prodit. Humorem enim subtilissimum, ex impuro & jam corrupto cor-

H 3 pore

pore prodeuntem, spiritu attractum sanum habitum inficere, minime dubitari potest. Quin & saepissime hinc caput doloribus tentari, & stomacho, vitiata saliva, nauseam concitari nemo non sentit. Contra autem vires nostras plurimis in casibus maxime reficere res odoriferas notissimum est. Idque fit, aut excitatis, quum oppressi erant, spiritibus animalibus; aut recreatis per res ejusmodi, quae tenuem fumum naturae gratum & amicum emitunt, naribus admotas. Sunt enim quasi spirituum animalium pabulum hujus generis corpuscula.

OMNIUM autem, quae haetenus innotuerunt, corporum odoriferorum valentissima sunt *spiritus & sales volatiles* dicti, vi ignis ex animalium partibus eliciti; hisce proximae animales illae glandulae, quae *castoreum, moschus, & zibethum*, appellantur. At illud fortassis jure mirum videatur, quod non omnia omnibus aequre convenient hujusmodi corpora. Multos enim mirifice reficiunt *moschus & zibethum*: cum alios videamus, quos pessundat fere, & aegritudine cum animi deliquio turbat, horum fragrantia; quos tamen recreat *virosum castoreum, & osa foetida*. Id discrimen, ut opinor, facit dissimilis inter eos fluidi liquoris, qui nervos irrigat, habitudo; Natura ipsa, quaenam singulis aut profutura essent, aut nocitura, monstrante. Neque ullus dubito, quin sensum harum rerum efficacieaie nervorum humor menti impertiat. Ita nimirum sapienter simul & benigne fabricam nostram instruxit Supremus

mus rerum Conditor; ut, quae salutaria sunt ad vitam, aut ad sobolem propagandam necessaria, sint simul jucunda, & cum sensuum voluptatibus conjuncta. In hisce tamen omnibus modum semper servare oportet, ne voluptatis illecebrae in noxam & detrimentum tum animi tum corporis cedant.



II 4

C A.

C A P U T X I.

De podagra.

PO D A G R A illorum hominum, qui plus satis genio indulserunt, plerumque morbus est; in quo Natura ex onusto corpore id, quod sibi inimicum est & noxiū, in articulos protrudere nititur. Est itaque pro morbi liberatione potius, quam pro ipso morbo, habenda haec affectio; unde magnopere cavere ac providere oportet, ut effectum fortiatur iste conatus. Minime igitur mitigandus est quibusvis medicamentis externis dolor. Si hoc enim tentetur, in partes vitales puncto temporis transit humor morbidus, & de vita maxime periclitatur aeger; documento sane insigni ad subtilissimum quemdam & actuosissimum liquorem, qualis est nervorum succus, turbidum hunc in corpore motum pertinere. Sin forte ignea colluvies ista intempestive retrocedat, totis viribus contendendum est, ut in partem, quam prius occupaverat, revertatur. Id efficiunt sanguinis missio; cathartica calidiora, quae non vehementer ventrem moveant; medicamenta cordi utilia; maxime vero vesicatoria membris imposita, habita semper loci affecti ratione. Nihil enim optabilius est, quam ut partibus externis, quas jam tenuit, per dies bene multos salutare id malum insidat; quia dif-

difficulter ejicitur ex corporis interioribus nouus hospes , ac semel admissus male partam possessionem ingratia tuetur : ut recte fortasse dici possit , solam podagram podagrae mederi.

SEDES hujus morbi sunt ipsa articulorum vincula ; & tendines musculorum , qui motibus eorum inserviunt ; cum membranis , quae ossa circumvestiunt. In has partes delapsus succus vitiosus acrimonia sua graviter pungit & vellicat ; hinc oritur inflamatio , & transudantibus ex minimis arteriarum & nervorum ramulis liquoribus tenuissimis , fit tumor dolorem afferens. Dolore enim pro instrumento utitur Natura ; qui , quo acrior est , eo breviori tempore & tutius munere suo fungitur. Non nunquam enim , quasi officium detrectans , lente id agit ; & pro vario corporis habitu , perinde ac si medicinam suam divideret , in plures dies cruciatum protrahit. Subsidente autem tumore , effusi humoris pars , quae per cutis meatus exire non potuit (& exigua sane ejus portio hac via exhalatur) in venas & lymphae canales absorbetur : dum id , quod crassissimum est , membranis adhaeret ; & singulis doloris circuitibus cumulatus , interdum in duritiem quasi cretaceam concrescit , sensimque articulos opplet & contundit.

QUOD ad remedia spectat , alia esse debent in ipsa accessione , alia extra illam. Quietem corpori impetrat ipsa ad motum impotentia. Viectus , si febris adsit , erit qualis in acutis ; si minus , ex media materia concedi potest.

H 5

Sto-

Stomacho enim, ut dixi, ac viribus prospicere oportet. Et animadvertisendum est (quod in alio morbo vix contingere vidi) ubi hanc partem corripuit morbus, quasi torpore quodam & frigoris sensu mirum in modum affici ventriculum: ita ut vinum sit pro aqua; & liquores calidissimos, quales sunt *spiritus*, quos vocant, ex vino eliciti, is expetat & facile ferat. Rei igitur hujus ratio est habenda, & potui danda non solum vina meraciora satis magna copia; sed & spiritus vinosi, *radicis serpentariae*, *zingiberis*, vel etiam *allii nucleorum*, maceratione efficaciores facti. Quin &, his parum valentibus, ipsos *serpentariae*, *zingiberis*, & *piperis longi* pulveres, confectione cardiaca dicta commistos, devorare comodum erit.

DISQUIRUNT Medici, annon, urgente in articulo intolerabili cruciatu, venam secare licet. Meminisse autem oportet, dolorem hunc ad partem tumefaciendam summe necessarium esse, ideoque patienter preferendum. At nihilominus tamen, cum certum sit separationibus ex sanguine, quae salutis causa sponte naturae fiunt, nimium obstare calorem; si febris sit vehemens, & praesertim si adsit delirium aut spiritus difficultas, sanguinis detractio non solum dolorem aliquantum leniet; sed & exitum humoris feliciter promovebit (a). Et illam sane etiam repetere opus erit, ubi capitis sopore affecti notae deprehenduntur. Saepissime enim

(b) Vid. *Líbrum De variolis*, cap. III.

enim animadverti Medicos ab ista exinanitione nimis metuere, ne scilicet humoris propulsioni in articulos officeret. In summa, sanguinis missio id plerunque efficit, ut morbus locum, quem jam tenet, deserat & relinquat; quod quidem quanto cum commodo multis in casibus fiat, manifestum est. Anodynorum autem usus, nisi forte vomitionis aut alvi dejectiones sollicitent, concedi non debet. Neque, ut id semel moneam, bene ferunt cathartica podagrici; nisi, finito jam paroxysmo, ad expellendas, quae tumorem faciunt, morbi reliquias.

Plus difficultatis & momenti habet quaestio de vitae regimine, quo quis tormentum hoc avertat, & eo se prorsus immunem praefret. Et primo quidem illud perpendere oportet; num tuto fatis, & cum bonis aegri rebus, id fieri possit. Quibus enim aetate jam provectionibus per multos annos reverti consuevit morbus; his, si non omnino invadat, pro articulis praecordia infestantur, crurumque insuper robore destituti vitam saepe in reliquum miseram transfigunt: id quod illis non semel contigisse vidi, qui lacte & oleribus contenti cibis aliis omnibus se abstinuerunt.

Siquis igitur hujusmodi quidquam tentare ac periclitari velit, is juvenis esse debet, & qui nondum morbum hunc, nisi fortibus vel ter, perpeccus sit. Illi vino & cerevisiis omnibus praefracte interdicendum est. Aqua pura sitim sedet. Lacte, & ex illo paratis eduliis, oleribusque vescatur; semel autem de die teneris car-

carnibus, quales sunt pullorum, gallinarum, & cunicularum, interdum & piscibus fluvialetibus, famem compescere licebit. Corpus exercitationibus assiduis, sed non vehementibus, movendum erit. Nonnullos novi hoc vivendi more securitatem totius vitae consecutos esse; & ne vel minimum quidem podagra vexatos ad viridem senectutem, eamque etiam jucundam, perductos. Tantum prodest secundum naturam, id est, temperanter aetatem agere. Et hoc vitae genus illi praecipue experiri debent, ad quos vitio parentum, non suo, jure quasi hereditario descensurus expectatur hic morbus; ne semina ejus, sanguini & nervorum liquori inherentia, fructum injucundum temporis ferant.

C O N C L U D E T hoc caput unicum illud monitum, quod licet verissime modo dixerim, *pro morbi liberatione potius, quam pro morbo, habendam esse hanc affectionem:* interdum tamen, praeferunt in senectute, gravissimum est malum; cum, fractis jam viribus, debilitatisque membris, corporis motiones perduntur, & magna vitae jucunditas perit. At vero, ut aliae quaecunque aerumnæ, ita & haec patientia levior fit. Et in mediis cruciatiibus illud forsitan, quod Sydenhamo fuit, solatio esse poterit; *ita vixisse, atque ita tandem mortem obiisse, magnos reges, dynastas, exercituum classiumque duces, philosophos, aliosque his similes haud paucos (a).*

(a) Tract. De podagra.

C A-

C A P U T XII.

De doloribus articulorum.

PODAGRAE affines sunt illi dolores , qui cum inflammatione & tumore articulos invadunt. His , sanguinis missionibus , vesicatoriis partibus affectis admotis , & nisi febris ureat , purgationibus mederi oportet. Si nulla , vel levis tantum , febris adsit , *gummi guajacum* cum *cinabari antimonii* conjunctum ; ita ut utriusque pares sint portiones , cum ad ventrem laxandum , tum , ad humorum acrimoniam retundendam , utilissimum erit ; eo modo datum , ut bis die faltem alvus dejiciat.

HORUM omnium saevissimus est dolor , quem Graeci *ἰσχία* appellant , quod coxas prehendit ; eoque difficilior est , quod fere post longos morbos , vi pestifera huc se inclinante , hanc partem corripit. Malum hoc , ubi inverteraverit , femur cum crure debilitat , & aeger claudicat ; interdum etiam femoris caput extra coxam elabitur , & femur ipsum protinus contabescit.

NON multum hic juvant cucurbitulae , aut vesicatoria parti imposita ; altius enim membranis os circumcingentibus infixus haeret molestus humor , quam ut his extrahi possit. Efficacius est *epithema volatile* dictum , aut emplastrum

strum ex pice Burgundica, addita euphorbii octava circiter parte, cum terebinthina Veneta, quantum satis erit, compositum.

NI HIL autem tantum levamen adfert, in pertinaci praesertim morbo, ac setaceum (a), sub locum affectum, ut materia inutilis evocetur, immissum. Sin autem vulnus ejusmodi minus necessarium videatur, aut nimis acerbum; fonticulum saltem in femoris dolentis parte interna supra genu medicamento caustico inurere maxime ex usu erit; ita tamen, ut ulcus id non sanetur, sed diu trahatur, donec id vitium, cui per hoc opitulamur, conquiescat. Celsus (b), Hippocratis exemplum secutus (c), candardibus ferramentis, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem exulcerare praecepit. Qua quidem medicina nulla foret efficacior; ut cunque enim terreret ignis aspectus, breviori cum dolore, quam infert medicamentum causticum, peragi posset.

FRICATIONE quoque utendum est, & eodem die saepius, quo facilius ea, quae coëundo nocuerunt, digerantur; ipsisque praecipue coxis, si fieri possit, adhibenda est. Aqua autem calida partem affectam fovere plerumque nocet; fibris enim illa relaxatis, augetur dolor.

SED ad interna auxilia tanseundum est. Ho-
rum

(a) Vid. supra, Cap. *De insanis*, p. 51.

(b) Lib. IV. cap. 22.

(c) Apbor. VI. 60.

rum praecipuum, detracto primum sanguine, est purgatio per alvum. Catharticorum potentissimum est, aut *mercurius dulcis sexies sublimatus*, aut *electarium e scammonio*; quod pro vi-ribus saepe repetere convenit. Diebus autem, quibus non exinanitur corpus, per ea, quae si-mul urinam cident, & alvum movent, morbi vis minuenda est. Ex his *tincturam guajaci-nam volatilem*, vel *balsamum guajacinum*, om-nibus preepono.



C A.

C A P U T X I I I .

De morbis cutis.

NI HIL jam dicam de *exanthematibus*, quae per febres prorumpunt, uti nec de *pustulis & maculis*, quae in foedo corporis habitu cutem inficiunt. Haec omnia, suis quaeque locis, sunt exposita (a). Morborum autem omnium, qui summum corpus occupant, foedissimus est *lepra*. Ea duplicitis est generis; alterum *Graecorum*, alterum *Arabum* nominant. De utroque, tum quae ad naturam, tum quae ad curam mali spectant, quantum ad rem satis est, alio in libro differui (b).

De scabie.

Huic vitio foeditate proximum, at origine plane diversum, dicitur *scabies*. Est autem aspritudo cutis rubicundior, unde pustulae oriuntur, ex quibus exit fantes; fitque ex his continuata exulceratio pruriens, quae cito contagione serpit. Animatus revera dici potest hic morbus, utpote qui animalculis ortum suum debet. Etenim infecta quaedam adeo exigua,

ut

(a) *Cap. De febribus, & De scorbuto.*(b) *Vid. Medicina sacra, Cap. II.*

itt aciem oculorum, nisi microscopio adjuvatur, omnino fugiant, in cuticulae fulcis lateñibus, & fere invisibilibus, tanquam in nidis, ova sua deponunt; tum calore loci foetus brevi excluduntur, qui justam magnitudinem nati, ipsamque cutem rostris aculeatis penetrantes, fibrillas vellicant roduntque. Morsus iste pruritum intolerabilem facit, unde scalpendi est necessitas; hinc sculptura pars lacera ta humorem tenuem effundit, qui ipse in crustulas duriores mox concrecit. Animalcula autem subter cutem assidue repentina de loco in locum, morbum propagant, dum ovis contagium longius effertur.

M A N I F E S T U M hinc fit, cur linteis, vestibus, chirothecis, similibusque, quibus usi fuerint contaminati, hoc malum in corpora sana transferatur. Ovula enim rebus hujusmodi ex molli materia confectis adhaerentia cuti affrancantur, & exclusa sordidam prolem edunt.


ID vero majoris est momenti, quod causae cognitio morbi medicinam monstrat. Nihil enim hic proficiunt purgantia, aut quae ad sanguinem emendandum dantur medicamenta. Externis adjumentis res agenda est; delenda scilicet impura progenies, quod facili negotio perficitur. Tepido igitur in balneo corpore primum lavato, inungendae sunt quotidie sub tempus lectum petendi partes affectae, aut *unguento e sulphure*, aut quod odore minus ingratum, *e mercurio praecipitato* conficitur; nisi quis malit linimentum componere longe gratis-

I simum,

simum, parique efficacia, ex floribus aurantiorum, vel rufarum rubrarum, adjecto mercurio corrosivo rubro, cum axungia contusis.

HAEc, quae dixi, omnia in Actis Regalis nostrae Societatis habentur (a). Edidit enim anno MDCLXXXVII Medicus ingeniosus, Johannes Cosimus Bonomo, Epistolam Italico sermone scriptam ad celeberrimum Franciscum Redi, Florentinum, *De vermis corporis humani*; in qua totam hanc rem, adjunctis etiam animalculorum cum ovulis suis figuris, dilucide exponit. Hujus Ego, cum decem circiter post id tempus annis per Italianam iter facerem, exemplar nactus epitomen lingua nostra composui, quam in patriam redux Actis memoratis inferendam curavi.

(a) Vid. Philosophical Transactions, Numb. 283.



C A-

C A P U T X I V.

De strumis.

DIFFICILIS mōrbus est is, quem Latini *strumas*, Graeci *χοιράδης* appellant, glandularum scilicet duri tumores. Eae fatigare Medicos solent, quoniam & febres interdum movent, nec unquam facile maturescunt; & sive ferro sive medicamentis curentur, plerumque juxta cicatrices resurgunt, & longo spatio detinent. In cervice maxime nascuntur, item in aliis, inguinibusque; praesertim in pueris. Interdum vero in pectus, & in mammae foeminarum, pervenient. Denique in pulmonem haud raro confluit humor, eoque vitiat, supervenit phthisis. Et profecto, si verum dicere liceat, in nostris saltem aliisque borealis regionibus a strumis ut plurimum oritur illa perniciis. Eo autem terribilius est hoc malum, quod a parentibus in prolem saepe transfit; & hereditate, quam cepit, haud facile se privari finit.

PERTINACI itaque & periculoso huic morbo omnibus modis occurendum est; sanguinis missionebus, purgationibus, & eis, quae ad viscidos, falsos, atque acres humores emendandos sunt apta. Catharticorum optimum est *mercurius dulcis sexies sublimatus*, quem in pue-

rorum usum cum *rhabarbaro* conjungere convenit ; adultioribus vero per se dari potest , potionē leni purgante post aliquot horas exhibita. Huic viribus proxima est *radix jalapii*. Aquae etiam nostrae purgantes , quoniam glandulas simul emundant , ventremque solvunt , accommodae sunt. Neque denique inutilis est tam in hoc morbo , quam aliis , qui a viscidis humoribus nascuntur , pilula singulis noctibus assumpta , quae ex *mercurii sexies sublimati* , & *sulphuris antimonii praeципitati* , singulorum grano uno , & aloës *Socotorinae* granis tribus vel quatuor , adjecto *syrupo balsamico* , conficitur.

Quae autem pravitatem hanc sanguinis & humorum corrigunt , pleraque sunt ex eo genere medicamentorum , quae urinam movent ; qualia sunt , *spongia ad nigredinemusta* , *sal diureticus* , & *tartarum vitriolatum* ; quae eo sunt commodiora , quod alvum simul aliquo modo laxant. Neque inutilis est *aqua calcis minus composita*. Ego sane pulverem ex *spongiaeusta* scrupulo uno , *nitri purissimi* , *coralinae* , & *sacchari albi* , singulorum scrupulo semis , bis die sumptum , cum dictae aquae cyathis tribus quatuorve , ex usu esse saepissime comperi. Si autem corpus macilentum sit , aquae isti par latetis mensura commisceri poterit. Propter vim etiam diureticam aliquid ad sanitatem conferunt *millepedae* ; vivarum potissimum succus , cum *nucis Moschatae* aliquantulo contusarum , commisto *vino tenui* , expressus , melleque aut saccharo gratior factus.

DIAETA

DIAETA neglectui esse non debet. Carnibus ex medica materia, & piseibus fluvia libus, conchis maxime, vescatur infirmus. Salsamentis & condimentis omnibus abstineat. Aquam bibat fluvialem, etiam coctam; putealem, aut stagnantem nunquam; minime omnium nivofam. Loca enim montana, *Alpes* praecipue, incolentibus gutturis glandulas natura tumefieri videmus. *Fonticulis* etiam peccantem materiam exhaustire prodest. Caelum quoque mutare saepe in salutem cedit, in primis si morbi in pulmonem ruituri sit metus; ita tamen ut regionem nec calidam nimis, nec frigidam, nec tempestatum variationibus insalubrem, petat aeger.

ILLUD denique in hoc morbo quantumvis pertinaci notabile est, quod nonnunquam per aetatis & habitus corporis mutationes, in juvenibus praesertim, ita sponte sua definit, ut integra sanitas restituatur. Ea res, ut opinor, *taetum sanantem regium*, quem vocant, in morem primum induxit. Cum enim istam mali hujuscce naturam deprehenderent homines astuti, facile existimarunt rem gratam se Regibus facturos, si illis persuaderent, ut ritu solenni, adjunctis ficerdotum precibus, virtutis suae hac ederent experimentum; quo scilicet populi reverentiam sibi conciliare, & jure divino, si diis placet, datum sibi imperium evincere possent. Nil mirum igitur si fides dictis habetur, & putarent interdum ipsi Reges caelitus sibi concessam istiusmodi potentiam; cum

*Nihil est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur, dis aequa potestas (a).*

Mundus quoque vult decipi; & res interdum ex voto cädebat, cui vis imaginandi, quae permagna est in morbis sanandis, haud parum tribuit. Hinc Reges nostri (nisi forsan cum princeps aliquis sapientior sceptrum teneret) in credulum vulgus beneficium hoc jam diu humaniter contulerunt. Reges autem *Galliae* ante nostros se donum istud eximium divinitus habuisse jaçtant.

(a) *Juvenal. Sat. iv. vſ. 70.*



C A-

C A P U T X V.

De scorbuto.

SCORBUTI nomen apud auctores Medicos morbum designat adeo multiplicem, & facie diversum; ut non idem, sed alias atque alias esse videatur. Nullo non tempore in septentrionalibus regionibus popularis fuit, eo saevior, quo illae oceano propius adjacent: idcirco *Danos*, *Norvegos*, & maris *Baltici* accolias maxime infestat; neque eo immunes sunt *Germani*, *Belgae*, nostrisque homines (*a*).

INCIPIT autem hoc malum a foedis in ore cruribusque ulceribus; unde Plinio *stomacace* & *scelotyrbe* dicitur (*b*), qui scelribus aquarum imputat, & auxilio repertam fuisse *herbam Britannicam* (quae nobis *hydrolapathum nigrum* appellatur) memoriae prodidit. Sed & ipsi Hippocrati jam olim innotuit, a quo *πηλὴν μέγας*, *lien magnus*, vocatur, & pariter a frigidis, crudis, turbidisque aquis epotis oriri dicitur (*c*).

M E^s

(*a*) Vid. *Eugalenum De scorbuto*; sed in primis *Sennertum*, Lib. III. Part. v.

(*b*) *Nat. Hist. Lib. XXV. sect. VI.*

(*c*) Vid. *De internis affection. Sect. XXXIV. & De aribus, locis, & aquis, Sect. X.*

M E M I N I Me vidisse in nosocomio hujusmodi casum in viro rustico mediae aetatis, qui in insula Toliapis Ptolemaeo dicta, nunc Sheppey, vitam egerat. Is locus tam caelo turbido & humido, quam aquis insalubribus, infamis est. Et quidem conjectari licet, Romanos milites, postquam, duce Claudio Caesare, in Britanniam transmissi erant, atque hanc insulam eum locis vicinis occupaverant, morbo hoc correptos, monstrantibus incolis, *herbam Britannicam*, quam auxilio repartam fuisse dicit Plinius, comperisse, & a regione id nomen dedisse. Scimus enim Imperatorem illum a Gesloriaco, quod in *Gallia* oppidum est, nunc *Boulogne* dictum, ex adverso Cantii nostri, hanc in terram milites exposuisse (a). Huic parem historiam narrat Strabo de Romano exercitu apud Album Pagum, quem, duce Aelio Gallo, Augustus Caesar in *Arabiam* misit. Dicit enim illum oris & crurum vitiis, morbis nimirum regionis istius indigenis, qui *stomacace & scelotyrbe* vocantur, suntque resolutio quaedam ab aquis & herbis proveniens, tactum fuisse (b). Minime autem dubito, quin aer insalubris marinus, cibus pravus, cum aquis noxiis, caelum illud hisce vitiis obnoxium reddiderint; ex Ptolemaei enim

(a) Vid. Sueton. vit. *Claudii Caef.* cap. XVII.

(b) Στομακάνη τε καὶ σκελοτύρβη πειραζεμένης τῆς σφαίρας ἐπιχειρίους πάθεις; τῶν μὲν περὶ τὸ σώμα, τῶν δὲ περὶ τὰ σκέλη πυραλυσίν τινα δηλώντων, ἐκ τε τῶν ὑδρίων, καὶ τῶν θεταῖς, *Geographb. Lib. XVI. pag. 781. ed. Paris. 1620.*

enim *Geographia* liquet Album Pagum ad sinum Arabicum situm fuisse. Sed haec obiter. *Rusticus* ille , quem dixi , malo corporis habitu cum febre intermitte abnormi laborabat ; accedebant crurum ulcera mala , in utraque niimirum tibia. Ab assumptis medicamentis , quae scorbuto convenient , amaris scilicet & urinam moventibus , convalescere videbatur : ulcerum enim alterum ope Chirurgi jam impletum erat ; alterum vero , dum sanescerat , ex improviso tenuit gangraena , & concisa carne , ne latius serperet malum , aeger subito mortuus est. Dissecto abdomen , mox oculos rapuit ingens lienis moles forma naturali , sola magnitudine aucta ; neque color mutatus erat , nec mollitatem tumor aut scirrus vitiarat . Pendebat autem libras quinque cum quarta librae parte , cum hepar quatuor tantum libras totidemque uncias pondere aequaret . Substantia denique , quae visceris hujus natura est , laxis fibris suffusum nigrum cruentum visui obtulit .

A b ulceribus istis supra memoratis os ipse que spiritus male olet ; gingivae vitiantur , sublividae & nonnunquam subatrae redduntur , ac digito vel leviter pressae atrum cruentum emittunt ; eaedemque sic laxae sunt , ut a dentibus discedant , quos facile omnes interdum eximere licet . Interea maculae lividae , tanquam vestigia suggillationum , variis corporis locis efflorescent ; in brachiis scilicet , in coxis , in cruribus , saepeque per universi corporis cunctem , adeo ut haec quasi ictero foedata videatur .

tur. Tormina quoque ventrem discruciant. Et ne levia quidem praetermittam, ab intestinorum doloribus nomen suum, tum Latinum tum Anglicum, traxisse videtur iste affectus, a voce nimirum Saxonica *scorbock* vel *scorbutck*, quae illa lingua ventris lacerationes denotat.

PRAETER infalubres aquas cibos etiam in partem nocimenti trahunt auctores, falsamenta nimirum & legumina; quae, cum sint difficilis concoctionis, crassum minusque commodum nutrimentum corpori suppeditant. At causam tamen magis universalem adhuc non videntur satis attigisse. Ille autem aër est usibus vitae minus idoneus, qui in pulmones receptus plurimum noxae adfert. Id in longis navigationibus maxime manifestum est, in quibus nautas faevissime corripit haec lues. Cujus rei illustre exemplum praebuit *Historia* nuper edita itineris marini, magni nostri ducis Ansoni, qui totum terrarum orbem circumnavigavit; in quo tertia pars nautarum hac calamitate consumpta perit, maloque adeo evepto, ut etiam in fractis ossibus calli, qui diu induruerant, quasi compage jam recenter rupta, mirandum dictu! dissolverentur (*a*). Est profecto in hisce casibus summa humorum omnium corruptio, & quaedam putrefactio; sanguinis mistura eo usque vitiata, ut quacunque parte emissus nihil pur-

(*a*) Vid. *Anson's Voyage round the world*, London, MDCCXLVIII.

purpurei coloris habeat, sed atram & coenosam colluviem referat. Quibus autem modis ita corrumpant & putrefaciant humores dictae jam causae, non difficulter cognoscet, qui proprietates legesque motus in fabrica animali perspectas habuerit. De illis enim ut pluribus hic agam, eo minus necessarium videtur quod in libello nuperrime edito eas fusius exposui; ubi commoditates & usum *machinae Suttonianae* ad extrahendum e navibus aëra inquinatum, alatis etiam documentis, ostendi (a).

Quod ad curam attinet, facilius multo est morbo huic venienti occurrere, quam illum depellere; cum enim corpori semel infederit, difficillime medicinam sentit. Optimum autem medicamentum est aër salubris opportune inspiratus, cum apta diaeta. Cum primum igitur quis aegrotare coepit, si forte sit in mari, quam citissime fieri poterit, mutandum est caelum, & pro marino terrenus aër hauriendus; sin in terra sit, rus amoenius petere, & aëre aperto ac sereno frui debet. Uterque vero aut carnis recentibus vescatur, & ex materia tenerrima: aut potissimum herbis, tam iis, quae sale volatili gaudent, quales sunt *coblearia*, *nasturtium*, *bocabunga*, & his consimiles; quam illis, quae succum frigidorem praebent, cuiusmodi sunt, *acetosa*, *endiosa*, *lactuca*, *portulaca*, & id genus aliae. Et has quidem

(a) *An Historical account of a new method for extracting the foul air out of ships*, London, MDCCXLIX.

dem omnes utriusque generis alias aliis misce-re, & temperare inter se, saepe erit utile. Ma-xime autem juvabit fructus subacidos, *mala ci-trea, aurea, punicaque* frequenter, comedendo stomachum pariter, ac corporis humores, refrigerare & astringere.

AT operaे pretium erit ipsam *Narrationem* itineris modo dicti pervolvere; quae multa sa-ne Medicis scitu utilia, omnibus lectu jucun-da, variosque casus ac rerum discrimina justo ordine, styloque eleganti descripta complecti-tur. Neque laboris fortassis illum poenitebit, si quis velit ea pervolvere, quae, cum *maschi-nae Suttonianae* utilitates exponerem, ipse de hoc morbo conscripsi. Leget ibi historiam maxime memorabilem de *Nauta quodam Bata-vio*; qui cum in nave ad *Groenlandiam* appul-sa hoc malo jam fere consumptus esset, herba tamen *cochlearia* pecudum more pastus, resti-tuta sanitate, in patriam firmis viribus rediit.

HIS, quae fusius fortasse diximus, illud de-nique adjungere non inutile erit: quod sanguinem, si ex quavis parte profluat, id quod non raro fit, *elixir vitrioli Mysichti, aqua fontana frigida* commistum, ac subinde hauustum; vel interdum etiam *tinctura styptica*, eodem modo assumpta, commodissime supprimet.

C A.

C A P U T XVI.

De malo hypochondriaco.

NON unam aliquam sedem habet malum, quod *hypochondriacum* dicitur, sed totius corporis est morbus. Maxime autem vitiantur imi ventris viscera, ventriculus nimirum cum intestinis, hepar, lienis, pancreas, & mesenterium; quorum singula pro natura sua & usibus vitae, quibus accommodata sunt, afficiuntur. Ventriculum crebri ructus & inflationes, cruditatis signa, infestant. Bilis crassior & tenax in canaliculis suis haerens hos opplet, & jecur tumefacit. Cum affectus est lienis; cuius officium id esse videtur, ut per arterias suas sanguinem fluidissimum, partim in cellulas proprias, partim in venam splenicam, ad hepatis usus immittat; liquor is crassior factus vitium facit, unde in vena ista fere stagnat, & molle viscus tumore distenditur. Pancreas ubi male habet, glandulae ejus, quae salivam deferunt, aliquo modo induratae humorem suum parcios profundunt; hinc bilis, quae in intestino illi admiscetur, non satis diluitur; & chylus nimis viscidus per canales lacteos dictos difficulter fertur, atque in viis suis quodammodo haeret. Omentum, pinguedinis officina, si quando ab hoc morbo aliquid

quid mali patitur, oleum illud tenuē & subtile, quod in sacculis hic colligitur ad hepar usque deferendum, & sanguini illuc a liene adducto affundendum, copia solito minori elabitur; quo fit, ut sanguis in vena portarum neque pro more solutus, neque lympha attenuata fatis refertus evadat. Mesenterii denique vitium, quod afferit iste affectus, id facit, ut glandulis membranae hujus obstructis, lymphae in ductus chyliferos instillandae penuria chylus nimis spissus, & nutritioni minus idoneus, sanguini assidue suppeditetur. Istaec omnia morbi hujuscem naturam patefaciunt; in quo scilicet sanguis & humores crassescunt, & motiōibus suis vitaeque usibus inhabiles redduntur.

C A U S A E autem multiplicis hujus mali in promptu sunt, quarum praecipuas, ut verbo dicam, corporis quietem, animique motiones, merito quis statuat: illa enim efficit, ut tardius moveantur humores; ab his nunc consistit fere sanguis, nunc vehementius incitatur; in utroque vero casu incommodum capit sanitas.

H A C T E N U S exposita ad curationem ducunt, in qua tum expurgare, tum emendare humores convenit. Neque tamen violentiora cathartica hic opus sunt; mitioribus res tutius agitur, illis praesertim, quae incident humores, alvumque simul & urinam moveant. Hujus generis sunt pilulae *ecphractiae*, *alvatica*, *saponaceis* conjuncta, *rhabarbarum*, *sal Glauberi*, & his consimilia.

H U M O R U M vitium, lento nimirum & crassitu-

situdo , medicamentis ex *chalybe* , amaris & aromaticis adjunctis , tinturae praesertim modo commodissime tollitur . Aquae vero , quae per venas hujus metalli fluxerunt , medicamentorum omnium chalybeiorum sunt efficacissimae .

OMNIA denique corporis exercitationum genera necessaria sunt : sphaeris ligneis vel pilâ ludere ; brachia , compressis utraque manu ponderibus plumbeis , frequenter agitare , est utilissimum ; nihil autem assidua equitatione salubrius .

DICTIS finem imponet narratiuncula , quae risum simul moveat , & inconstantis hujus morbi indolem patefaciat . Vir quidam Academicus ex nimia ignavia hac aegritudine tam graviter laborabat , ut tandem decumberet ; ingravescente indies morbo , mortem sibi instantem denunciat ; jubet igitur , ut moris est , campanam funebrem in templo aedibus suis vicino pulsari , quasi neniam suam ante supremam vitae horam audire volens . Fuerat autem ipse juvenis exercitii causa modulate campanas pulfare solitus . Quid jam sequitur ? Campanarum pulsator illi male rem agere videtur ; statim itaque iratus e lecto surgit , manibus suis modum rectius pulsandi monstraturus ; quod cum fecerat , totus sudoribus diffluens ad lectum iterum se confert , mox expiraturus . Vitam autem reddidit iste labor , & convaluit . Ita , quod observavit olim Hippocrates (a) , contraria contrariorum sunt medicamina .

(a) *Ta iarrinia tñrérartlñ ñfrñmpala , Desflatibus , § . IIII .*

C A P U T XVII.

De animi affectibus.

AFFECTUS animi, quos *passiones* vulgo appellant, vehementes nimirum & immoderati, pro morbis haberi debent; nam corpori etiam varias aegritudines effertunt. Id autem quibus modis eveniat, nisi cognita animi natura, legeque perspecta, qua is cum corpore in unum coeat animal, intelligi nequit; quam scientiam in hac vita nunquam, ut opinor, assequemur. Vitae enim ac naturae nostrae ratio ita comparata est, ut facultates animi viresque corporis mira quadam promptitudine exeramus; modum vero ipsumque actionum omnium principium prorsus ignoremus, cuius cognitio ad bene beateque vivendum, minime necessaria esse videtur.

EFFECTA tamen motionum animi in machinam nostram deprehendere facile possumus; nec mutationes, quas in sanguine & humoribus secum ferunt, dignoscere est admodum difficile. Quaedam enim sanguinei laticis motum reprimunt, aliae incitant, nonnullae alternatim fistunt & propellunt. Sic moeror & metus cohibent; iracundia, indignatio, & intemperata libido stimulant; conjunctae hujusmodi perturbationes motus tardioris, aut cele-

terioris, vicissitudines subitaneas, se festinanter excipientes, procreant. Neque illud observare alienum est, quod immodi affectus, ubi diu infederint, pro natura sua in longos saepe morbos vertuntur. Ita folicitudo, desperatio, moeror, melancholiam faciunt; iracundia longo tempore perseverans in furorem & insaniam desinit. Attamen pro varietate temperamentorum cum animi, tum corporis, plus minusve nos movent affectus. Quin & in eodem homine non omni tempore pariter perturbant. Usque adeo incomprehensibilis est fabricae nostrae construacio.

CAETERUM id longe adhuc mirabilius est, quod inter autores Medicos a solo sagacissimo Aretaeo animadversum reperio (*a*). Etenim non modo, ut is notat, animi affectus morbos faciunt; sed & vicissim ipsi morbi efficiunt magis, eaque interdum, quae naturae illorum contraria videantur. Exemplo apud ipsum est hydrops, qui licet morbus sit pernicioſissimus, aegrotantibus tamen tolerantiam & patientiam affert; non ex alacritate, ac bona spe, velut iis accedit, qui bonis rebus utuntur, sed ex ipsa morbi natura. Cujus rei causa, inquit, exponi non potest, sed mirari tantum id licet.

VERUM ista omnia spirituum animalium ministerio peraguntur; hi enim cor, motus sanguinis instrumentum, minori aut majori vi con-

(a) *De causis & signis diuturnorum morborum*, Lib. II.
cap. I.

contrahunt. Idecirco pulsus arteriarum has permutationes etiam in ipso illarum ortu monstrant.

PRIUSQUAM autem ad medicinam harum animi aegritudinum deveniam, monere convenit, non frustra, sed optimo Supremi rerum Conditoris consilio, infitas nobis esse naturales istas animi commotiones; quo scilicet ad mala fugienda, & bona arripienda, cum impetu quodam feramur. Minime igitur noxia sunt *mūgī*, nisi ubi immoderata rectae rationis imperio non reguntur, & limites aptos transcendent.

TUMIDOS autem hos animi fluctus compонere Philosophiae munus est. Verum, proh dolor! ad irritum hic plerumque cadunt Stoïcorum praecepta; quippe qui & ipsi saepenumero magna loquuntur, non vivunt:

Naturam expellas furca licet, usque recurret.

Tentandum est tamen, & quo difficilior sit pugna, eo glorioſior erit victoria. Sed haec Philosophorum disputationibus relinquenda esse forsitan quis dicet, cum nostrum sit corporis medicinam promittere. At liceat Mihi in re tantum momenti pauca quaedam virtutis incitamenta, quae ex scholis eorum didici, hisce Medicis nostris imimiscere.

IN PRIMIS itaque ipsa Natura trahimur omnes ad voluptates; quarum aliae corporis, aliae sunt animi. Ad illas autem maxima pars

ho-

hominum proclivior est; harum illecebris pauci, quos aequus amavit Jupiter, capi volunt. Rei autem istius haec ratio esse videtur, quod vix unquam isti recti animi conscientia frui licuit, & gaudium illud percipere, quod ex libidinum suarum moderatione viro bono enascitur; cupiditatum vero lenociniis dediti, virtutis blandimenta nondum experti sunt, unde ignoti nulla cupido. Paulatim igitur assuescere oportet, nec oleum camino unquam est addendum, si quis tantam hanc exoptat felicitatem.

PERTINET ad hanc rem id, quod est apud Ciceronem, a Catone dictum; acceptum vero ab Archyta Tarentino, magno in primis & praeclaro viro: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, esse hominibus a natura datam; cuius voluptatis avidae libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur (a). Et ea fane, quae summus ille vir huc facientia persequitur, prudens quispiam magna animi jucunditate perlegere poterit. Rectissime igitur apud Silium Italicum exclamat virtus:

Quippe nec ira Deum, tantum nec tela, nec hostes;
Quantum sola noces animis illapsa voluptas (b).

VERUM enim vero, sicut moderatio cupiditatum mentem confirmat, ita temperantia in vietu corpus turbidis his motibus minus ob-

no*

(a) *Cato Major, Cap. XII.*

(b) *Punicorum, Lib. xv. v. 94.*

noxium reddit. Neque id tantum in iis, quibus excandescit sanguis; sed etiam in illis, qui reprimunt, locum habet; quandoquidem tranquillum rerum statum conservat.

Et hac quidem via venientibus his malis occurritur, aut saltem leviora fiunt. Ubi autem jam corpus occuparint, singula sibi convenientia postulant remedia. In iis commotionibus, quae vitalium humorum cursum coercent, stimuli requiruntur; frena vero, si effervescent. Stimulant commodissime *gummi graveolentia, castorum, sales & spiritus volatiles ex animalibus vi ignis eliciti &, similia.* Imperium autem & furorem sanguinis refrenant, sanguinis missio, alvus poulo fusior, *nitrum*, & quaecunque refrigerantia. Optimum autem est consuetudine & consiliis uti fortium & sapientium virorum; permultum enim in vita omni valent exempla, quibus rationi obtemperare sensim discimus, affectusque regere, qui, nisi parent, imperant.

Qui autem prorsus *απελεῖ* nos esse volunt omnesque animi affectus quasi nocuos supprimere; ii certe rerum Conditoris ter Optimus Maximi sapientiam & bonitatem impugnant, qui in optimos usus fabricae nostrae illos inferuit & quasi intexuit; idque non ut singulis tantum salutares, sicut jam dixi, sed etiam ad societas conjunctionesque hominum servandas prorsus necessarios.

C A-

C A P U T X I X.

De morbis mulierum.

SUPER mulierum morbis multa dicere eo minus necessarium esse videtur, quod in his describendis & sanandis tantum operae posuerint plurimi auctores. Pauca tamen, ne neglegentur habitus videatur sexus amabilis, breviter attingam; illis, qui virgines infestant, primum tribuens locum, quibus coelebs sua vita multa affert incommoda. Ex his autem frequentissimum est.

S E C T I O I.

Menstruorum suppressio.

MENSTRUORUM fluxum plerumque impedit sanguinis lento, quo sit, ut is canaliculos ad hunc effluxum Natura comparatos, & sphincteribus suis instructos, vi sua aperire non possit. Neque enim, ut vulgaris fert opinio, arterias uteri singulis mensibus dirumpit sanguis; sed per ductus sibi proprios, Naturae legibus turgescens, foras exit. Ab ista humoris vitalis crassitudine evenit, ut vultus color

vividus in viridem mutatus amittatur & perireat.

HUIC malo illa remedia convenient , quae sanguinis circuitum promovendi , viscidosque humores incidendi & attenuandi , vi pollut : qualia sunt amara omnia , aromaticis conjuncta ; ut etiam multa eorum , quae *ferrum* suppeditat . Haec autem antecedere debet sanguinis detractio ; & cathartica , adjuncto *mercurio sexies sublimato* . Praestantissima est etiam *tinctura sacra* .

Ex omnibus autem , quae menses movent maxime , singularem virtutem habere deprehendi *belleborum nigrum* ; ita ut illum vix unquam spem fecerisse meminerim . Idcirco *tincturae melampodi* cochleare minimum ex aquae tepesfactae haustulo bis die assumi jubeo . Et illud quidem notabile observavi ; quod quotiescunque aut propter malam partium conformatiōnē , aut alia quacunque de causa , sine effēctu datum esset hoc medicamentum , sanguis per alias vias propulsus fuerit : unde clarissime constat , quanta vi sanguinem propellendi polleat ista medicina .

S E C T I O II.

Immodicus mensum fluxus.

SED & non raro nimis magna copia fluunt
men-

menses. Ubi hoc accedit, cohibendum est pro-
fluvium. Id autem, misso primum sanguine,
efficiunt, cum ea, quae sanguinem cogunt
& inspissant; tum, quae fervorem ejus mi-
nuunt. Ex illis praecipua sunt, quae vitriolum
aut alumum participant; in primis *tinctura ro-*
sarum; aut pulvis ex *aluminis rupe* portioni-
bus tribus, & *sanguinis draconis* parte una, si-
mul liquatis, confectus. Calorem vero san-
guinis; & fluxum hinc provenientem, quibus-
cunque aliis remediis potentius lenit *cortex Pe-*
ruvianus.

SECTIO III.

Fluores albi mulierum.

FOEDUS morbus est tetra ista colluvies, quae colore albo ex foeminarum naturalibus interdum profluit. Hunc autem humorem modo profundunt canales uterini; modo ex glandulis, quibus consita vagina est, erumpit. In illo casu, fluentibus mensibus, supprimitur profluvium; in hoc, etiam cum in menstruis est mulier, perstat adhuc, & vel uterum gerentem excruciat.

IN utraque mali specie corporis habitus praecipue habenda est ratio; ab illius enim vitio tam hic, quam iste morbus originem tra-

K 4 hit;

hit; ubi autem in ipsa vagina sedem fixit **externa** etiam opus sunt.

VOMITUM igitur plerumque primo ciere oportet, *vino praesertim ipecacoanhae*. Purgantia brevibus intervalis data convenient, in primis *rhabarbarum*: quod vel per se, adjectis quibusdam aromaticis, additoque interdum, ubi res postulat, *mercurii sexies sublimati aliquanto*; vel, quod nomine *tincturae rhabarbari vinosae* prostat, frequenter assumi poterit. Quintam laxiores corporis fibrillæ adstringentia desiderant, ea in primis, quibus *ferrum* inest.

Quod ad externa autem, quae in vaginae vitiō necessaria fore dixi, ea minime adhibere oportet, quae nimia vi peccantem humorē reprimunt ac repellunt; illa tantum sunt ex usu, quae membranae hujus ulcuscula detergent simul & sanant. Ipse eventu saepe felicissimo foeminam laborantem, aut aquam aluminosam *Bateanam*, aut aquam vitriolicam camphoratam (adjecto alterutri mellis *Aegyptiaci* aliquantulo) per syringem hujusmodi usibus aptam, parva quantitate, at repetitis vicibus, infundere jussi. Neque nihil ad sanationem confert vaginam subinde suffumigare; superinjerto nimirum prunis pulvere ex *ture*, *mastiche*, *succino*, & *cinnabari antimonii* ita commixtis, ut singulorum aequalis sit portio,

S E.

S E C T I O I V.

De morbo hysterico.

N U L L U S morbus aequæ foeminas vexat, atque *affectione hysterica*. Haec puellarum, nuptarum, viduarumque communis est; & si non magnum periculum, terrorem tamen non levem saepissime affert; interdum etiam ita exanimat, ut tanquam comitialis morbus prosterat.

U B I incidit in eam mulier, si satis virium est, sanguis missus adjuvat; si parum est, curcurbitulae tamen defigendae sunt inguinibus aut coxis. Sin autem diutius jacet, extinctum ex lucerna linamentum, aut aliud quidam foetidi odoris, naribus admovere oportet, quo excitetur. Aquae frigidae perfusio idem efficit. Inter haec coxas & poplites perfricare convenit.

D E I N D E, ubi ad se rediit aegra, ne casus idem revertatur, providendum est. Menstrua, si solito minus fluxerint, proritanda sunt. *Gummi graveolentia* multum prosunt, item parata ex ferro medicamenta. Corporis etiam exercitationes convenient. At facienda plerumque est animi commotionibus medicina.

S A P I E N T I S S I M E denique Hippocrates pro Medico Maritum esse voluit. Ille enim, postquam *cæloreum*, aliaque plurima juvantia, pro-

K 5

po-

posuerat; *Optimum esse, ut mulier in utero gestet, & virgo cum viro simul habitet, decernit (a).*

S E C T I O V.

De partu difficulti.

HUMANITAS nos admonet, ut mulieribus difficulter parientibus, si quid auxilii praeter manus operam praestari possit, succurratur. Quanquam enim humani generis propagationi ita consuluerit provida Natura, ut, licet magno cum dolore, sine multo certe periculo ex utero exeat foetus; sit tamen interdum, ut gravi cum labore in lucem protrahatur infans. Id multas ob causas evenit, quibus obviam ire norunt obstetrics. At unico in casu quid faciendum sit, saepe nesciunt; is est, cum irritis conatibus, colicorum terminum aemulis, diu parturit foemina. Hoc ubi fit, *opii* granum unum aut alterum assumere convenit; cuius ope dolores isti, qui partum impediunt magis quam promovent, conquiescunt, & sublevata rem suam strenue agit Natura. Est etiam illud hic alicuius momenti, quod medicamenti anodynī vis, ut alias omnes partes constrictas, ita etiam uterinas laxat aperitque.

(a) "Αριστον δε εν γαστρι ἔχει τὸν δὲ παρθένον πεῖται ζυνούκεται ἀρρώπι. *De morbis mulierum, Lib. II, sect. 19.*

C A-

C A P U T X I X.

De morbis venereis.

LUES venera, magnum illud scortatorum flagellum, opprobrium foret Medicorum, ni feliciter illi remedium inventum fuisset *argentum vivum*.

MORBI naturam, historiam, & progressus ita diserte exposuit doctissimus Astruccius (*a*), ut nihil amplius ad ejus cognitionem requiri possit. Modum autem, quo vires suas in corpore exerit ponderosus hic liquor, ipse olim satis, ut opinor, adjunctis etiam cautionibus aliquot necessariis, dilucide explicui (*b*). Illud igitur solum restat, ut super incommodo uno & altero, quae morbo huic, partim ex ipsius natura, partim ex mala curatione superveniunt, monita quaedam suggeram.

ET primo quidem infestus casus est jugista, quae gonorrhœam interdum excipit, humoris mucosi destillatio. Pertinax id profluviū tam ex vesiculis seminalibus, quam ex glandulis, *prostatis* dictis, provenit, corrodis vi morbi canaliculorum oribus; illosque maxime fatigat, qui ad expellendum virus conceptum for-

(*a*) *De morbis venereis. Lutetiae Paristorum, MDCCXL.*

(*b*) *Essays on poisons, MDCCXLVII. Essay IV.*


fortioribus catharticis nimis diu corporis debilitarunt.

BALSAMICIS partes laxatas confirmare nituntur Medici, at frustra plerumque sunt. Mihi multis jam annis in usu fuit hujusmodi tintura: *Rhabarbari* drachmae tres, *gummi guaiaci* sesquidrachma, *laccae* drachma una, *cantharidum contusarum* drachmae duae, *coccinellae* semidrachma, in spiritus vini rectificati sesquilibra infunduntur, & fit colatura. Hanc efficacissimam esse semper expertus sum, & Medicis Chirurgisque quamplurimis commendavi. Guttæ autem triginta, ad quinquaginta usque (quantum scilicet sine urinae difficultatis metu ferri poterit) mane, & hora decubitus, ex aquae tepefactæ haustulo affumuntur.

NON raro autem, morbo per longum salivæ fluxum depulso, febris hectica corpus debilitatum occupat. Ubi id accedit, decoctum ex *lignis guaiaci* & *sassafras*, *radicibusque Chiae* & *sarsaparillæ*, adjuncto *glycyrrhizæ*, *seminumque coriandri* aliquantulo, copiose bibendum est; lacte commixto. In decocti autem hujus usu, usquequo refectæ fuerint vires, persevere oportet.

DENIQUE non alienum erit monuisse, tempus proritandæ salivæ, quo noxii humores expellantur, maxime opportunum id esse, cum aut pustulae per corpus, aut ulceracula in ore praesertim & faucibus, jam aliquandiu proruperint; neque tamen oslä, quibus proxime instat caries, corrumpi coeperint. Metus enim est,

eit, ne lamellae ossae, putredini jam obnoxiae, ponderosa globulorum metallicorum vi diffingantur. Idcirco usu medicamenti parciore hanc curam longius protrahere, quam festinare, satius est.



C A

C A P U T X X .

*De morbis, qui aliis superveniunt,
aut in alios mutantur.*

PLURIMUM confert cum ad medendi rationem, tum ad Medici honorem, quinam morbi aliis ultro superveniant, aut in alios mutentur, cognoscere. Horum igitur praecipuos quosdam breviter commemorabo.

DISPUTANT autem inter se auctores, quarumnam causarum vi istiusmodi mutations eveniant. Eae autem causae pro morborum natura sunt diversae. Nonnunquam enim partium affectarum consortio, & quadam cognatione cum aliis, ex laesa in sanam illabitur malum. Saepius partium vicinia damnum latius trahit. Saepissime vero ipse morbus est ejus conditionis, ut vel per modum solutio-
nis, vel corporis corruptionem, in alium definat. Exempla nonnulla ex multis, quae in promptu sunt, producam.

CAPITIS & ventriculi consensus facit, ut hoc pituita gravato, illud vertigine laboret; & contra, ut, repleto aut laeso cerebro, ventriculus aegritudine corripiatur. Pari cognatione jecinoris & intestinorum fit, ut, colicis doloribus haec torquentibus, ieterus in il-

lo

lo mox oriatur; cum ex adverso icterus interdum bilem flavam in alvum effundit, & termina excitat. Uteri quoque cum multis partibus est consortium, adeo ut Hippocrates *bunc esse omnium in mulieribus morborum causam* (a) dixerit. Hae autem partes praesertim sunt caput, pulmo, & stomachus; συμπαθεῖς vero instrumenta sunt spiritus animales, qui animi maxime affectionibus commoti, vel a vulva male affecta corpus afficiunt, vel noxas corporis cum illa communicant.

PARTIUM autem vicinia, quam alteram causam morborum successionis proposui, in inflammationibus praecipue locum habet, humore in partem adjacentem translato. Ita pleuritis in peripneumoniam transit; difficultati urinae, quam *σπαυσθεῖν* Graeci vocant, ileus supervenit; renum malae affectiones lumbos in conjunctionem trahunt, lumborumque dolores cum renibus communicantur.

MORBORUM denique, qui aliis superveniunt, aut in alios mutantur, tertiam causam naturae ipsorum tribui; quae, cum sit multiplex, multis etiam modis effectum sortitur. Arthritis interdum in dolorem colicum transit, dolorque colicus in arthritidem. Varices doloribus articulorum supervenientes liberacionem morbi promittunt. Apoplexiae succedit paralysis; & nervorum, nunc in toto corpore, nunc in aliqua tantum parte, resolutio morbum

(a) *De morbis mulierum, Lib. II.*

bum solvit. Sin autem a membris jam resolutis ad caput revertatur malum, mors plerumque pro Medico est. Difficultas spirandi, quae diu molesta fuit, hydropem in pectore pariter ac abdomen progignit. Hydrops inter cutem ne in ascitem desinat, magnopere timendum est. Malancholiae etiam, quae longo tempore duravit, non raro supervenit morbus comitialis, salutisque spem omnem adimit.

MULTA, quae hoc faciunt, collegit Hippocrates, & ex illis divinam artem bonum aut malum eventum praesagiendi sapienter monstravit. Ut finem igitur faciam, non abs re erit monere, et si causae, quas dixi, singulæ virtutem suam haud raro exerant; ut multæ tamen simul, junctis viribus, morborum cum succeßiones tum mutationes efficiant, plerumque evenire.



CON-

C O N C L U S I O.

De vita regimine.

A PROPOSITO, ut opinor, nequaquam alienum erit, si illis, quae aegris facienda proposui, nonnulla etiam, quae sanis per omnes aetates convenient, conclusionis loco breviter adjungam. Etsi hunc sane laborem sapi-entissimi Celsi praecepta supervacuum fere redidisse videantur (*a*): quae, discriminis, quod caelum diversum, diversaque hodie ac olim vi- tae consuetudo facit, habita ratione, quisquis servaverit; is profecto, ut verbis ipsius utar, *in secunda valetudine adversae praesidia non consumet.*

ITA enim comparatum est corpus nostrum, ut mutationes aliquas & aberrationes sine magna injuria facile ferre possit; quod ni ita esset, detrimentum perpetuo fere levibus de causis fabrica nostra caperet. Id commodum praefstant mirae istae interiorum partium communicações, quibus uni male affectae altera confestim opem fert. Ita replete ultra modum corpore, per has aut illas vias sponte Naturae, fiunt interdum exinanitiones. Et ob hanc causam morbi ab inanitione, quam a repletione, orti periculosiores esse solent; quo-

niam

(*a*) *Lib. i. cap. 1, 2, & 3.*

niam demere, quam addere, materiam expeditius possumus. Idcirco etiam, quamvis temperantia omnibus sit utilis; Medici tamen antiqui auctores fuerunt, ut qui bene valeret, & suae sponte esset, genio nonnunquam indulgens tam cibum, quam potum, solito abundantius assumeret. Tuttior autem est in potionē, quam in esca, intemperantia. Caeterum qui expletus est, facilius concoquet, si, quidquid assumpsit, potionē aquae frigidae includat; cui etiam, praeferit si condimenta cum cibis devorata fuerint, succum limoniorum, vel elixir vitrioli Mynsichti, adjungere proderit. Tum paulisper invigilet, deinde dormiat. Si quibus vero de caulis futura est inedia, labor omnis vitari debet. Neque ex satietate fames, neque ex fame satietas idonea est. At neque ex nimio labore subitum otium, neque ex otio nimio labor subitus, sine gravi erit noxa. Sensim igitur quaecunque mutationes facienda sunt.

VARIUM etiam habere oportet vitae genus; modo ruri esse, modo in urbe, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere; siquidem ignavia corpus habet, labor firmat. At modus in his omnibus servandus est, neque multum fatigari convenit: frangit enim vires, & corpus solvit, crebra & vehemens exercitatio; moderata vero semper cibum antecedere debet. Ex omnibus autem exercitationis generibus commodissima est equitatio; aut, si imbecillitas id non finit,

sinit, vectio in curru, vel saltem in lectica: deinde arma, pila, cursus, ambulatio. Verum id incommodi fert senectus, ut corpori exercendo vires vix sufficient, cum tamen sanitas id maxime requirit. Fricationes igitur in hac aetate suis manibus, si id fieri potest; sin minus, opera servorum necessariae sunt; quae verriculis ex setis confectis optime peraguntur.

DULCE curarum levamen, & virium restitutio, somnus est; qui, quod in vigilia laboribus disperditur, quiete reparat reficitque. At neque is immodicus juvat; sensus enim hebetat, & vitae officiis minus idoneos reddit. Tempus autem sommo opportunum nox est, in qua tenebrae & silentia illum invitant & conciliant; diurnus minus recreat. Quod si plebem servare convenit; multo magis viros literarum studiosos tenere oportet, quorum mens, aequa ac corpus, injuriis plus patet.

PUERIS alimentum mollius & lenius, juvenibus valentius congruit. Senes de cibo demere, & potionis addere debent. Aliquid tamen consuetudini dandum est, in frigidioribus praesertim regionibus, qualis est nostra; nam in his ut acrior ciborum appetentia, ita facilior est concoctio.

CONCUBITUM, cum jam aetas & robur stimulant, neque nimis concupiscendum, neque nimis pertimescendum esse, consentiunt Medicis. Senem sua monet frigiditas, ne pro voluptate ingratum laborem trahat, & fata sua

abrumpat. Turpissimum autem est , & maxime noxiū , vi imaginandi quemquam se ad venerem ficta persona incendere. Illud denique omnes semper cogitare oportet , quod tum hanc , tum alias quascunque ,

Voluptates commendat rarer usus.

IPSE denique , re bene perpensa , saepenumero Mecum ad hunc modum reputare soleo. Ut cunque voluptates , opes , potentia , caeteraque , quae fortunae dicuntur bona , nimis inaequaliter hominibus distributa esse videantur ; si tamen in universis rem spectemus , illorum , quae felicitatem faciunt , major deprehendetur aequalitas , quam vulgo existimatur. Communibus vitae utilitatibus commodius ut plurimum fruuntur humilis ordinis homines , quam illustres , & qui primum locum obtinent. Viētum salubrem suppeditat labor modicus , qui & cibī appetentiam & concoctionem juvat ; hinc jucundus somnus fessa membrana recreat , neque curae edaces abrumpunt ; laeta proles domum replet , succrescentibus paterno labore robustis filiis. Quantum autem hisce cedunt cum aerumnis conjunctae plerorumque opulentorum inanes deliciae ! Indigit illorum stomachus , ut vesci possint , ciborum condimentis , quae sanguinem calefaciunt & corrumptunt , corpusque morbis opportunum reddunt ; diurna crapula nocturnam quietem interturbat ; in poenam vitorum nati , grande familiarum decus & co*lu-*

lumen, culpa parentum morbos in utero materno contrahunt, quibuscum per totam vitam conflictati vix ad languidam senectutem perdicuntur; anxietatibus quoque de honoribus & splendidis titulis consequendis saepe discrariantur, ita ut oblationem, quam ex praesentibus bonis percipere possent, vana spe plura adipiscendi non raro amittant. Horum igitur

Quis non optaret pauperrimus esse honorum?

Quin & omnibus hisce incommodis illud accedit, quod lautiis onustum corpus animum quoque praegravat, & ad libidines incendit; cum ex adverso tenuis humiliorum vietus neque corporis vires opprimat, neque vitiis alimenta expedit. Quare, nisi opes comitetur prudentia,

Vivitur exiguo melius.

Neque injusta noverca, sed omnino utilitatum provida & benefica mater, censenda est Natura.

IN summa igitur, sapientis est in omni vita

Servare modum, finemque tenere, Naturamque sequi (a).

Quisquis autem de natura humana recte judicium

(a) *Luean. Lib. II. vñ. 381.*

L 3

cium tulerit, eam ita constitutam esse inveniet; ut, quemadmodum alii aliis ratione & ingenio longe praestamus, & tamen omnibus, quod dolendum, pravum quidpiam est ingenitum; sic & corpora sanissima vitio aliquo insigni raro non laborent: quod ut futuri interitus feminum nos brevis aevi memores faciat, monstruetque apposite ad hanc rem olim dixisse Lucretium,

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu (a);

neque ἀπροσδιένυσσον fuisse effatum illud Hippocratis, "Ολος ἀνθρώπος εἰν γενετής νεός ἐστι (b).

(a) Lib. III. vj. 984.

(b) Epist. ad Damaget.

F I N I S.

